
Digitized by Google



# TERTIA DIÆCESANA

# SYNODVS

# BARIENSIS.

Habita.

*Ab Illustriss. ac Reuerendiss. Domino.*

# DIDACO SERSALI

Eiusdem Ecclesiæ, & Canusinæ Sedis Archiepiscopo, & Summi Pontificis Assistente.

Die Dominica 18. Augusti 1658.

*Adiecta sunt nonnulla Pontificum Decreta: Casuum Reseruatorum breuis explicatio; Instructio pro Confessarijs. Breue Ordinandorum ad Maiores, & Minores Ordines Examen. & aliqua in commune commodum vulgari lingua edita; quorū Indicem versa Pagina Indicabit.*






Macerate, Apud Augustinum Grisei. 1658.
*Superiorum permissu.*



# INDEX

Capitum Synodi.

## Officiales Synodales.



## Adiecta.



De

De-

Er-

| Errata | Corrige. |
|---|---|
| Pag. 2. lin. 23. | Ne dem Ne,dent |
| Pag. 31. lin. 24. | Carpore corpore |
| Pag. 32. lin. 21. | ſiſtentes. eſiſtentes. |
| Pag, 43. lin. 14. | ſublicationib⁹ Publicationibus |
| Pag. 43. lin. 15. | eſtiuis. Feſtiuis. |
| Pag. 43. lin. 16. | eratis. Teratis. |
| Pag. 64. lin. 16. | laboreris. laborerijs |
| Pag. 80. lin. 27. | ad quod non *dele*, non |
| Pag. 103. lin. 1. | expecto. exempto |
| Pag. 125. lin. 24. | ob aliam. ob illam |
| Pag. 209. lin. 26. | ed. ſed. |
| Pag. 226. lin. 33. | Diaconis Diaconus. |

*Typographus Lectori.*

AMice Lector, ſi quid vel in orthographia, vel in cōpoſitione, aut in tranſpoſitione litterarum peccatū eſſe animaduertes, id non voluntati, ſed inaduertentiæ velim benignè tribuas, illudque tritum, ſed veriſſimum Maronianum dictum vellē memineris.

*Non omnia poſſumus omnes.*

Vale, fruere, meque Deo commenda.

*Ad Illustriss. ac Reuerendiss. Dominum*

# DIDACVM
## SERSALEM.

Archiepiscopum Bariensem, & Canusinum.
Tertiæ Diæcesanæ Synodus promulgatorem.

## ELOGIVM.

Aduerte ora,& oculos Fama;
Qui te sæpissimè loquacem reddidit,
Nunc pudeat silere:
Is D. Didacus Sersalis est,
Amplissimus Barij, Canusijq; Archiepiscopus;
Clarissimam qui stirpem Auis debet,
Ingentem virtutem sibi.
Innumeros,eosq; maximos honorum gradus adijt,
Quos ita gessit,vt docuerit meruisse.
Sacra demum ambitus Infula,
Sacro diademate coronatus
Splendide iactat,se minoribus ornamentis contentum,
Maioribus factum.
Laudum Amator,contemptor laudationum,
Mauult gloriosus esse,quam videri.
Fastus cæteris magnitudinis est fætus,
Huic Clementia;
Hominumq; vitia sibi nouit odisse,
Vt alijs benignè remittere.
Quod in honorum fastigio degit,
Vt syderibus fortuna proximus,sic natura,
Ab alto solet in suos vigilare.
Testatur hoc Diæcesana Synodus
Quæ Tertia eodem Auspice anno 1658 celebrata

Populorum salutem, Incolumitatem Orthodoxæ Fidei,
Morum sanctitatem sedulò accùrat;
Quæ nè posteritati excidant,
Nè tantæ monumentum pietatis obliteretur,
Promulgatura vbi vis gentium
Aduerte ora, & oculos Fama.



*Ad Illustris. ac Reuerendiss. Dominum*

# DIDACVM

## SERSALEM,

Bariensem, & Canusinum Archiepiscopum,

Et Summi Pontificis Assistentem.

## ELOGIVM.

Audet plus nimio fortasse calamus,
Seque solitó sublimius tollit,
Pennatus sanè futurus Icarus,
Nisi lucère malles,
Didace, Sol Antistitum,
Quam ardère.
Nil plebeium, nil iuuat humile.
Cui infulatum tanti Præsulis contigit nomen,
Non atramento in fastis exarandum,
Sed auro.
At vndè primus laudis tuæ fons, & origo?
An ab ipsa Maiorum origine?
Sed hi plus à te laudis accipiunt,
Quam attulerunt.
Generis tui claritatem meritis efficis clariorem;
Minores, sine te, apparent maiores tui;
Nec fumosæ tam benè lucerent familiæ imagines,
Nisi in te, bono tanquam in lumine, collocasses.
Didaci præcipua la us est,
Famam non aucupari ex imaginum fumo,
Nec què luceat,

Lucis esse indigum alienæ.
Tanta virtus diù latère non potuit,
Ipsa se radijs prodidit suis;
Barij simul es elatus ad Thronum,
Pontificiæ maiestatis proposuisti exemplar ac decus;
Vix sacra caput cohibes vitta,
Et solutior fræna sensit licentia.
Continuò vitiorum aufugère portenta,
Quo tuo sibi cauerent à baculo;
Pontificio magis formidandus in lituo,
Quam roburea Hercules claua.
Tanto ita te geris in munere,
Vt sacris non honoreris infulis,
Sed honores.
Adeò tibi nulla à labore cessatio,
Vt doceas.
Non tam ore, quam manu,
Exemplo potius, quam voce,
ThYaras non capitis ornamenta esse,
Sed onera;
Boni Præsulis verticem non ornare,
Sed onerare.
In Throno procul à terra
At proprior Cælo,
Nulla nisi cum astris amas commercia.
Editiore sanè è loco,
Tanquam é specula gregi excubas tuo,
Quo securos capiat somnos,
Solerti Pastoris vigilia.
Dignus profectò es Didace,
Quem Nicolaus Bario suo
Sibi collegam velit,& amet.
Ambo tantæ Vrbis præestis nauigio,
Tu vt Gubernator,

Illæ

Ille præest vt Sidus.
Alter quò dolosas detegat syrtes;
Alter quò Nauem tegat a syrtibus.
Felix sanè Cursus,
Qui gemina Nicolai, ac Didaci sub face,
Ledæo veluti sub sidere, est institutus.
Amauit profectò Myrensis Antistes in te Mores suos,
Imò se,
Adeò eum qua beneficentia refers, qua pietate.
Quoties diues tuis in opibus incessit annus?
Quoties argẽti tui põdere leuari cæpit Vrbis calamitas?
Grauis esse desijt annona?
Aurea liberalitate tua reuocata non semel tempora,
Qua Morum, qua Malorum duritiæ plusquam ferrea.
Auro tuo consultum quoque non semel
Ne pudor esset venalis auro.
Ad huius pallorem
Desiêre pauperes expallescere;
Effecisti vt minus diues esset Inopia,
Si ditior esset; inexhaustum Inopum te præbens ærariũ.
Duas miseris aras Barij constituit Deus,
Nicolai genua,
Didaci manus;
Ab hoc famis subsidia,
Ab illo sitis præsidia paraturus.
Duos aperuit fontes,
Alter aureus, argenteus alter;
Ex argenteo Nicolai latice
Siticulosa dici desijt Apulia;
Ex aurea Didaci liberalitate
Ditius cæpit flauescere.
Age iam Didace, & Nicolao ferè geminus
Quantus sis vide.
Satis celsum tibi proposuisti meritorum culmen,
Quò per tot virtutum niteris veluti gradus.

# DIDACVS
## SERSALIS

Archiepiſcopus Barienſis, & Canuſinę Sedis:

Admod. Reuer. Capitulo, & Vniuerſo Clero eiuſdem Ciuitatis, & Diœceſis. Salutem &c.

*Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis, ad Galat. 4.*

SAnctam Viſitationem totius Ciuitatis, & Diœceſis reiterato abſoluimus labore; & pro noſtro Paſtorali munere quid agendum, & quid effugiendum, paterna Charitate decreuimus. quia tamen Apoſtolus monet. 2. *ad Thimot*.4.eſſe inuigilandum,& opus Euangeliſtæ peragendum; Nobiſque,& vniuerſo gregi attendēdum. *Act*. 20.ad hanc Tertiam Synodum Diœceſanam nos conuertimus, in qua leges, & inſtituta, quibus pax, ſaluſq; veſtra nititur, collocauimus. Vos *Veterem hominem exuite, & nouum induite ad Coloſſ*. 3 Morum harmoniam ad Pſalmographi Citharam dicentis *Seruite Domino in lætitia*, *Pſal*.99. componite, & debitam ijs legibus obedientiam præſtate, illas præ manibus habentes aſſiduè, & cuſtodientes diligenter. Deumque vniuerſitatis Cōditorem pro me famulo ſuo, veſtrarum animarum amanti, vigilantiq; Paſtore orare ne grauemini. Illudque vobis perſuaſum eſſe contendo, quod ſanctus Abbas, melliſluuſq; Doctor Bernardus ſuis Monachis inculcabat, *ſer*. 25. *in Cant. Didici ſubditorum matrem eſſe, non Dominum Studui magis amari quam metui; Et ſi interdum ſeueritate opus fuit, paterna illa fuit, non Tyrannica*.

IN

# IN NOMINE SANCTÆ, ET INDIVIDVÆ TRINITATIS

Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

***NOS DIDACVS SERSALIS***

*Dei, & Apostolicæ Sedis Gratia Archiepiscopus Barensis, & Canusinæ Sedis in præsenti nostra tertia Diœcesana Synodo infrascripta decreta statuimus, & Promulgamus.*

Barij Die 18. Augusti 1658.

## *De Fidei Professione.*

### Caput Primum.

1 LEctores, vel Magistri, qui siuè publicè, siuè priuatim gratis, vel mercede alios erudiendos susceperint etiam Grammaticæ, & cuiuscunque artis, & facultatis liberales Professores, Medici etiã, & Chirurgi intra duos menses, à die suscepti officij computandos, Fidei Professiònem emittere teneantur (quæ hic impressa apponetur) alias ab officio, artisque, & facultatisexercitio amoueantur, quam Fidei Professionem etiam Verbi Dei Prædicatores, Cõfessores, Bibliopolas, ac Typographos emittere volumus; Quod vt facilius, ac melius effici possit, studiosè inquirant Parochi, qui nam

in suis Parochijs ijs muneribus fungantur, & eorum nomina ad nos, siuè ad nostrum Vicarium Generalem ad mensem, à die publicationis præsentis Decreti numerandum, deferant.

*Forma Professionis Fidei hæc est.*

EGo N. firma fide credo, & profiteor omnia, & singula, quæ continentur in symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia vtitur, videlicet. Credo in vnum Deum, Patrem omnipotentem, factorem Cæli, & Terræ, visibilium omnium, & inuisibilium. Et in vnum Dominum Iesum Christum, Filium Dei vnigenitum. & ex Patre natum ante omnia sæcula: Deum de Deo, lumen de lumine; Deum verum de Deo vero. Genitum non factum consubstantialem Patri: per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine: &homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est. Et resurexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in Cælum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare viuos, & mortuos; cuius Regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & viuificantem: qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur; qui locutus est per Prophetas. Et vnam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen.

Apostolicas, Ecclesiasticas traditiones, reliquasque

eius-

eiusdem Ecclesiæ obseruationes, & Constitutiones firmissimè admitto, & amplector.

Item sacram scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum admitto: neceam vnquam, nisi iuxta vnanimem consensum Patrum, accipiam, & interpretabor.

Profiteor quoque septem esse verè, & propriè Sacramenta nouæ legis á Iesu Christo Domino Nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria: scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiã, Pœnitentiam, Extremam Vnctionem; Ordinem, & Matrimonium; illaq; gratiam conferre: Et ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse.

Receptos quoque, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio, & admitto.

Omnia, & singula, quæ de peccato Originali, & de Iustificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio.

Profiteor pariter in Missa offerri Deo, verum, propriũ, & propitiatorium sacrificium pro viuis, & defunctis, atq; in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramẽto esse verè realiter, & substantialiter corpus, & sanguinem vná cũ anima, & Diuinitate Domini Nostri Iesu Christi; fieriq; conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem; quam conuersionem Catholica Ecclesia Transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie, totum, atque integrum Christũ, verumq; Sacramentum sumi.

Constanter teneo Purgatorium esse; Animasq; ibi de-

tentas fidelium ſufragijs iuuari.

Similiter, & Sanctos vnà cum Chriſto regnantes venerandos, atque inuocandos eſſe: eoſq; orationes Deo pro nobis offerre;atq; eorum reliquias eſſe venerandas.

Firmiſſimè aſſero imagines Chriſti,ac Deiparæ ſemper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas, & retinendas eſſe; atque eis debitum honorem, ac venerationem impartiendam.

Indulgentiarum etiam poteſtatem à Chriſto in Eccleſia fuiſſe relictam; illarumque vſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem eſſe affirmo.

Sanctam Catholicam,& Apoſtolicam Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtram agnoſco: Romanoq; Pontifici Beati Petri Apoſtolorum Principis, ſucceſſori,ac Ieſu Chriſto Vicario veram obedientiam ſpondeo, ac iuro.

Cætera item omnia à ſacrls Canonibus,& Oecumenicis Concilijs, ac præcipuè à Sacroſancta Tridentina Synodo tradita,definita,& declarata indubitanter recipio, atque profiteor, ſimulq;contraria omnia, atque hæreſes quaſcunque ab Eccleſia damnatas, reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reijcio, & anathematizo.

Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo ſaluus eſſe poteſt ,quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo,eamdem integram, & inuiolatam, vſq; ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſimè, Deo iuuante, retinere,& confiteri,atque à meis ſubditis,vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit,teneri,doceri, & prædicari, quantum in me erit,curaturum.

Ego idem N. ſpondeo, voueo, ac iuro: Sic me Deus adiuuet,& hæc Sancta Dei Euangelia.

2 Dili-

2 Diligenter animaduertant Parochi, an in ſuis parochijs vllus ſit prauis opinionibus, quod ad fidem attinet, imbutus, vel eo nomine ſuſpectus; & nos ſtatim certiores reddant.

3 Infra menſem, à die publicationis preſentis, Decreti omnes in hac Ciuitate exibeant nobis, & noſtris Deputatis, & in Diœceſi Noſtris Vicarijs foraneis notã omnium librorũ Prohibitorum, quos habẽt, etiã manuſcriptorum ſub pæna excomunicationis. Ipſi autem Vicarij foranei notam eiſdem exhibitam ad nos traſmittant.

## *De Abutentibus Sacra Scriptura.*

## Caput Secundum.

1 COercenda eſt eorũ temeritas, qui Sacræ Scripturæ verbis, vel ſententijs ad iocum, contumeliam, ſuperſtitionem, incantationem, impietatem, aut ad quoſuis prophanos vſus, & ſenſus abutunrur. Quare qui in hoc genere deliquerint, vltra pænas à iure ſtatutas, grauiter à nobis punientur. Teneanturq; Parochi populum frequenter de huius peccati grauitate admonere.

2 Biblia vulgari lingua ædita neq; legi, neq; retineri poſſunt; prout nec compendia hiſtorica Bibliorum, ſeù librorum Sacræ, Scripturæ vulgari idiomate ſcripta. Cõcilij Tridentini etiam translationes, ſeù quaſcunq; verſiones de lingua latina in alias linguas prohibitas eſſe declaramus; prout etiam prohibita ſunt Commentaria ſuper eodem Sacro Concilio, & declarationes Sacræ Congregationis.

## Caput Tertium.

1 DOctrinæ Christianæ docendæ proprium Parochorum munus nimis elanguit. Ij ergo eam singulis diebus Dominicis explicent, & obedientiam erga Deum, & parentes, bonosq; mores pueros doceant sub pæna toties, quoties omiserint Carolenorum decem in delatores diuidendorum, quod vt Commodius exequantur, omnibus Clericis præcipimus, vt intersint. Vt autem populus instruendus accedat in re tam necessaria, decernimus ignorantibus Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, ac Decalogũ, (Experientia breuiter facta) à Confessarijs tẽpore Paschatis non tradendum testimonium in scriptis de eorum Confessione audita, sine qua in Paschate Cõmunicari non poterunt; nec ijsdem Sacramentum Confirmationis administrabitur, & sine nostra licentia Matrimonio minimè copulabuntur.

2 Pueros, mulieres, & rudes instruant ijdem Parochi de modo accedendi ad Confessionem per veram contritionem, & ex quibus motiuis possit illa elici, de examine præmittendo, de circumstantijs, de numero peccatorũm aperiendo, & de tollendis occasionibus propinquis.

3 Monemus idem officium edocendi pueros in Doctrina Christiana, & rudimentis fidei incumbere parentibus naturalibus præceptoribus litterarijs; & eorum Patrinis, cum hoc in susceptione illorum de sacro fonte Baptismatis spoponderint.

*De Ludi*

## *De Ludi Magistris.*

## Caput Quartum.

1 MAgistri scholarum non solum in Grãmatica, & Rethorica adolescentes instruere sed etiam bonis moribus, & salutaribus præceptis debent imbuere; quare præcipimus, vt libros nominatim vetitos pueris non interpretentur nec abillis legi patiantur; prout nec alios, inquibus obscæna, vel turpia continentur,

2 Quotidianas exercitationes à pijs precibus inchoent, & concludant; ideoq; Sacra Imago in Gymnasijs appendatur. Hortentur etiam, Imò compellant alumnos ad sacras Missas, ad Diuina Officia, & ad conciones audiendas.

3 Nullus ad docendum palam, vel secretè admittatur, qui non fuerit à nobis, vel à Nostro Vicario Generali examinatus, & approbatus. Mandantes nostris Vicarijs foraneis per Diœcesim, nostroq; Promotori Fiscali per Ciuitatem, vt ad hoc diligenter aduertant sub pæna priuationis Officii.

## *De Prædicatione Verbi Dei.*

## Caput Quintum.

1 PRædicatores neminem inter prædicandum, paupertatis, aut cuiuslibet alii tituli nomine populis commendent nisi à Nobis vel à Nostro Vicario Generali obtenta licentia in Ciuitate, in Diœcesi veró à Parochis, seù Curatis.

2 Sacris Concionibus maximè quæ in quadragesima,

ma,& Aduentu habentur, omnes Canonici, & Sacerdotes, ac Clerici sæpissime cum superpelliceis, seu Cottis intersint sub pænis nostro arbitrio dandis.

3 Dum Concio habetur, nullus per Ecclesiam elemosynam petat, sed id negotij cum Prædicator pausam fecerit, ita celeriter agatur, vt concio minimè impediatur nec Missæ, aut horæ Canonicæ, etiam submissa voce, etiā in Altaribus subterraneis celebrētur, aut recitētur; iubentes omnibus Sacristis, & aliis ad quos spectat, vt eo tempore sacras suppellectiles non tradant, si secus factum fuerit tam celebrantes, & recitantes, quam Sacristæ, & alii, ad quos spectat, per mensem Carceris pænā dabunt.

4 De nocte Concio nunquam habeatur; spirituales quascunq; exercitationes, quæ in Ecclesiis fiunt, & ad quas mulieres admittuntur, omninò circa horam vigesimam quartam terminandas esse volumus sub pæna interdicti Ecclesiæ, aliisq; arbitrio Nostro infligendis.

5 Parochi omnes commissas sibi oues pro eorum sensu, & intelligentia salutaribus verbis bis saltem in mense pascant; Qui autem ob impedimentum per se ipsos id præstare non poterunt, peritorum vtantur opera, per nos, siuè per nostrum Vicarium Generalem approbandorum.

6 Nullus secularis etiam in Ecclesia sua nobis contradicentibus prædicare præsumat; Regulares verò in suis Ecclesiis non nisi a suis superioribus approbati, & de eorum licentia cum benedictione nostra prædicare possint; Extra suas Ecclesias Concionaturi licentiam à nobis cum benedictione petant, si secus fecerint, grauiter à nobis punientur.

7 Concionatores certū Antichristi, aut Iudicii extremi diem non prædicent, neque suas reuelationes publi-

blicent alias pænam excõunicationis, Absolutione Papæ reseruata, incurrent.

8 Historias apochriphas; miracula non approbata; fabulas ineptas narrare abstineant; hæreticorum opiniones apud imperitos minimè referant; nec quemquam nominatim, aut tacitè illum designantes, insectentur.

## *De Dierum Festorum Cultu.*

## Caput Sestum.

1 CVm verò dierum festorũ obseruantia Diuino iure præcipiatur, mãdamus, vt dies festi, quos ex Sacrorum Canonum decretis, & Romanorum Pontificum iussu præsertim ex Const, Vrbani VIII, fel. rec. præceptum est obseruari, ab omnibus piè, sancteq; obseruentur; & vt omnes dierum de præcepto obseruadorum notitiam habeant, in fine notam apponi curabimus.

2 Mandamus Parochis, & Curatis omnibus vt in eorum Ecclesijs dies festos, vigilias, & ieiunia, quæ ex præcepto Ecclesiæ seruari debent, singulis diebus Dominicis populo denuncient; In Epiphania verò totius anni festa mobilia enuncientur.

3 In ijs igitur diebus ab omni illicito, & seruili opere abstineatur, Mercatus ne fiant; profanæ negotiationes; & iudiciorum strepitus cõquiescant; laicorum Conuentus, quæ Concilia appellantur, dum diuina celebrãtur officia, diebus festis non fiant; sed si necessitas vrgeat, post Vesperas fieri poterunt.

4 Circulatores tam diebus festis, quam profestis suas præstigias, vel spectacula propè Ecclesias, in quibus eo tempore diuina officia celebrantur, non exerceant sub pænis nostro arbitrio.

5 Vigilias quæ vulgo dicuntur le veglie, Commeſſationes, aliaſq; profanas actiones, quæ in feſtiuitate alicuius Sancti in Eccleſia fiunt, tamquã ab illius diei Cultu alienas prohibemus; Et ideo præcipimus omnibus Parochis, Curatis, Cuſtodibus, Guardianis, Rectoribus, Præpoſitis, etiam Regularibus exemptis, vt ſuas Eccleſias non aperiant ante auroram, & claudant ſtatim, vel paulo poſt ſonum Salutationis Angelicæ, alias ex nunc Eccleſias prædictas Eccleſiaſtico ſupponimus interdicto, vigore facultatis Nobis à Sacra Congregatione traditæ per litteras ſub datum Romæ 12. Iulij 1652. exceptis tamen Noctibus Natiuitatis Domini Noſtri Ieſu Chriſti, & Cænæ eiuſdem.

6 Qui diebus his opus aliquod illicitum feciſſe deprehenſus fuerit, præter diuinam vltionem, & amiſſionem mercium, quas vendit, & animalium, quibus ad vecturam vtitur, ex præcepto Cõſtitutionis Pij V. Sanct. mem. ſuper hoc æditæ, alijs etiam pœnis Noſtro arbitrio mulctetur.

7 Ex decretis tamen Sacræ Congregationis cenſemus licere diebus feſtis dare operam rebus ad vitam neceſſarijs, ac tempore perituris, præſertim tempore vindemiarum, meſſium, ac recollectionis fructuum, vel ſi neceſſitas vrgeat, aut ſuadeat pietas; Cæterum quoniam verendum, eſt ne priuatis affectibus, domeſticarumq; rerum ſtudio eó aliqui perducantur, vt hac Sacrorum Canonum indulgentia in aliis etiam caſibus abutantur, Mandamus ad noſtrum iudicium, & Cenſuram pertinere, vt dignoſcamus num verè vlla ex cauſis ſupraſcriptis ſubſit, propter quam liceat diebus feſtis ſeruilibus vacare, vt nec dierum feſtorum obſeruantia violetur, nec opera illis diebus ſumma cum ratione permiſſa impediantur; quæ omnia in Diœcæſi per Parochos, ſiué Ar-

chi-

thipresbyteros,& Curatos, præter quã in Terra Aquæuiuæ vbi per Vicarium Nostrum foraneũ dignoſcantur.

8 Pro licentia exercendi opera ſeruilia [in diebus festis in casibus à iure permiſſis nihil prorſus exigatur, aut petatur etiam nomine eleemoſinæ vel in operis pii erogatione, ſub pæna excommunicationis.

9 Omnibus dignitatibus, & Canonicis Noſtræ Cathedralis Eccleſiæ iniungimus, vt cum per Nos Veſperas, & Miſſas ſollemniter celebrari ſciuerint in choro intereſſe debeant veſtibus iuxta Cærimoniale indutis. Inſuper hoc idem mandamus Sacerdotibus, Diaconis, & Subdiaconis eiuſdem Noſtræ Eccleſiæ ſub pæna Carolenorum quinque pro quolibet arbitrio Noſtro piis vſibus applicanda, & ſub eadem pæna Magiſtro dictæ Eccleſiæ præcipimus, vt notulam abſentium expleta ſollemnitate Nobis tradant.

10 In ſollemnioribus feſtis, & ad proceſſiones Magiſtratus ad Eccleſiam inuitentur ad maiorem Dei gloriam, & honorem.

11 Nullus Iudicum cuiuſcunq; ſit dignitatis, authoritatis, aut præeminentiæ in his diebus reum torqueat, Capite puniat, aut alia pæna corporali, niſi criminis atrocitas aliud exigat, & tunc obtenta prius à nobis licentia.

12 Ab audienda Miſſa neminem eſſe excuſatum diebus de præcepto, declaramus exceptis illis, qui iuxta D.D. ſententiam excuſantur.

13 Officinæ in caſibus permiſſis non ſint apertæ, ſed Oſtiolum tantum.

## Caput Septimum.

1 TEterrimum planè, atq; inter grauiora flagitia maximè execrabile est sortilegium, tum quod ex fallacissimis obseruationibus imaginatum nihil nisi mendacia suis amatoribus dare potest, tum quod mendacii patrem Diabolum authorem habet. Quocirca vt quantum in nobis est superstitiones, rerum futurarum coniecturæ, cæteræq; satanicæ suggestiones à finibus Nostræ Diœcesis exulent, mandamus de Sortilegijs, incantationibus, omnibusq; magicis diuinationibus diligenter inquiri, vt qui Æterna salute post habita in verba Belial iurasse depræhensus fuerit, pro criminis mensura sæuere puniatur.

2 Familiare vitium est muliebri sexui cum Ægrotantibus maritis, filijs, aut carioribus personis opem ferre cupiunt, Cælesti medico post posito ad in sana, & impia carmina confugere, Cartulis etiam vti, seù breuibus, vt vocant, nec non Characteribus Ægrotorum collo appensis, quod & in animalium morbis fieri relatum est. Nos igitur vt huiusmodi vanitates à nostrorum populorum animis stirpitus euellantur, omnia incantamēta, atq; diabolicas machinationes, omnemq; diuinationem ex aëre, aqua, terra, igne, ex vnguium, & lineamentorum corporis inspectione, ex sortibus, somnijs, mortuis, alijsq; rebus, quibus per dæmonum significationem incerta pro certis, & futura affirmantur, & prædicuntur, furta, thesauros absconditos commostrare se posse confitentur, & huius generis reliqua, per quæ imperitorum hominum mentes facilè decipiuntur, & quæ ad curanda corpora, siué hominum, siuè animalium adhiberi

beri solent, execramur, atq; nequis colore etiam certissimi vitæ periculi in posterum fiant omninò interdicimus; in eos etiã qui huiusmodi diuinatores, sortilegos, Coniectores, Ariolos, & cuiusuis generis malos de aliqua re consuluerint, vel vt consulantur authores, adiutores fuerint, vel eis fidem adhibuerint, sæuerè procedendum esse statuimus.

3 Si quis etiam annulos, vel aliud ad magicos, seù superstitiosos vsus fecerit, aut vendiderit, graui pæna afficietur; prout etiam procedemus contra Astrologos, qui ex solis, lunæ, & aliorum astrorum motu, figura, & a spectu de hominum actionibus, quæ à libero voluntatis arbitrio proficiscuntur, aliquid venturum certò affirmant; quod etiam ad eos pertineat, qui ad illos de huiusmodi rebus detuleriut, & qui in itineris susceptione, aut cuiusuis rei institutione, vel progressione dies, tempora, & momenta obseruantes, quadrupedum voces, auium garritum, aut volatum notantes ex occursu etiam hominum, vel pecudum suscipiendi operis felicitatem, aut infelicitatem augurantur; quæ omnia á fidelium mentibus Confessarij alienare procurent.

4 Qui verò sponsos ad copulam reddunt inhabiles, vel eosdem sic inhabiles, & ligatos per maleficia, verba superstitiosa, & instrumenta malefica dissoluunt, & tali modo solutiones, & liberationes procurant, Excommunicationem incurrant, à qua minimè absolui possint, nisi de speciali nostra, vel Vicarii nostri generalis licentia. Et quia tales pernitiosi homines nulla sunt humana affectione celandi, idcirco mandamus omnibus tam laicis, quam Ecclesiasticis, secularibus, & regularibus vtriusque sexus scientibus aliquos huiusmodi crimine nequissimo inquinatos ad nos, vel ad Nostrum Vicarium generalem quauis mora postposita deferre, & denũ-

ciare

ciare ſub pænis in Conſtitutionibus Apoſtolicis appoſitis, á quibus minimé abſolui poſſint, niſi facta denunciatione prædicta.

5 Hoc decretum à Parochis bis in anno populo publicetur, nempè Prima Dominica Aduentus, & in Dominica Palmarum ſub pænis arbitrio noſtro infligendis.

*De Sacro Sanctis Eccleſijs, earum immunitate, & Eccleſiaſtica libertate.*

## Caput Octaum.

1 CVm in Eccleſia Chriſtiani conueniant, vt nomen Domini benedicant, dedecet domum ſanctitatis profanis Commercijs coinquinari. Prohibemus igitur ne in ea fiant colloquia vana, deambulationes, & ſtrepitus Vniuerſitatum, profanarum ſocietatum Conuentus, confabulationes, negotiationes, nundinationes, perſonarum repræſentationes, aliaque profana ſpectacula.

Prohibemus inſuper ſub pæna Excõmunicationis ne quis in Cæmeterijs choreas ducat; pila, vel quovis alio ludo ludat; mercaturam, vel aliud ſimile profanum tractet, & Curſoribus quibuſcunque ne aliquem in Eccleſijs, vel earum Cæmiterijs citent, tam ciuiliter, quam criminaliter.

3 Nè verò Eccleſia videatur eſſe perditorum hominum, & debitorum fraudulentium aſylum, & ſpes immunitatis occaſionem præbeat delinquendi, Conſtitutionem fel. rec. Greg. XIIII. & Decreta Sanc. Cõgregationis contra debitores ad Eccleſiam vna cum bonis cõfagientes, obſeruari mandamus; ideoq; huiuſmodi nefarios

ſarios homines extrahi; fraudolentium verò bona, cui de iure erunt ad iudicanda curabimus.

4 Si verò ob locorũ diſtantiã extrahẽdi malefactores à locis ſacris à nobis, vel à noſtro Vicario Generali facile licentia haberi non poterit, eorumque fugæ immineat periculum, vel debitorum bona occupari; nos celerrime moneant, vt opportuno remedio accuramus, bonaque penes tutam perſonam Eccleſiaſticam deponenda, donec in foro noſtro quid de iure faciendum erit, iudicabitur.

5 Miniſtri laicalis Iuriſdictionis reo in Eccleſia exiſtenti, vel Cæmeterio, arma etiam prohibita non auferant; Vinculis, & Compedibus non mancipent, neq; ſub cuſtodia intus Eccleſias coarctent, victualia, & cibaria non impediant, ſub pena Excommunicationis latæ ſententiæ. Eadem immunitate gaudere Cæmiteria, ſiuè coniuncta Eccleſijs, ſiuè omnino ſeiuncta, & ab eis longe diſtantia declaramus.

6 Prohibemus ſub pæna Excommunicationis, vt in domibus Clericorum nullus Miniſter cuiuſcunque iuriſdictionis perquiſitionem aliquam faciat, vel fieri iubeat, aut permittat, etiam ſub prætextu bonorum ibi abſconditorum, ſeú quocunque titulo repoſitorum, ſine noſtra, vel noſtri Vicarij Generalis licentia inſcriptis obtenta; Sicuti enim immunitati Eccleſiaſticæ, ſic etiam fraudes excludere, & illis obuiare intendimus.

7 Nemo ex Clericis in maioribus, ſiue minoribus, Ordinibus Conſtitutis quauis dignitate Eccleſiaſtica præfulgeat, bona aliena in ſuis domibus recipiat in fraudem gabellarum, ſiuè collectarum: qui ſecus fecerit pæna ducatorum decem ſingulis vicibus mulctetur, & ad intereſſe partis condemnetur. Recipientes autem bona furto ſubtracta pænas à iure ſtatutas dabunt.

8 Cle-

8 Clerici tam respectu personæ, quàm bonorum Ecclesiasticorum, patrimonialiũ, & quouis titulo acquisitorum Iurisdictioni laicali nullatenus subditi sunt. Mãdamus igitur sub pæna Excommunicationis, vt nullus quarumuis litterarum executorialium vigore executionem faciat in bonis Clericorum, sub prætextu quod nõ sint illorum, ne sub tali ementito colore eosdem ad tribunalia laicalia, seú alterius Iurisdictionis contra dispositionem Sacrorum Canonum trahant.

9 Nemo satellites, & familiam nostræ Curiæ Archipiscopalis, & Vicariorum foraneorum Nostræ Diœcesis offendat percutiendo, vel vim inferendo sub pæna Excommunicationis.

10 Excommunicamus in his scriptis omnes, & singulos indebité turbantes, & molestantes possessiones, & bona nostræ Metropolitanæ Ecclesiæ, & aliarum Ecclesiarum eiusdem Ciuitatis, & Diœcesis, Arbores, & Vites incidentes, nec nõ illarum iura, census, redditus, & alios prouentus occupantes, participantes in prædictis, consilium, & fauorem dantes.

11 Sciant vniuersi non solum esse excommunicatos effectiuè extrahentes ab Ecclesia commorantes in ea, sed etiam extractum non restituentes, & illius restitutionem impedientes, etiam si eorum ordine non fuerint extracti, prout etiam extractos detinentes, siuè non restitui mandantes, & auxilium prestantes, esseq; absolutionem etiam cum reincidentia Sanctissimo reseruatam.

12 Fraudibus pro viribus obuiare cupientes statuimus, & expresè mandamus, donationes omnes, quæ personis Ecclesiasticis à quibuscunquè laicis fiunt intra mensem in nostra Curia præsentari, nulloquè quæsito colore retrocedi, vendi, aut alienari posse nobis in consultis; alias donatarijs personis Ecclesiasticis ius aliquod

quod minimè quæratur. Et quia experientia compertū est multas donationes prædictis Ecclesiasticis huc vsque factas, retrocessas fuisse donantibus; & in graue præiudicium Vniuersitatum, qui à nostra Curia mandata Cōseruatoria expedita habebant, illis vtuntur, fingentes ad huc possidere bona donata. Propterea mādamus omnibus, vt infra mensem in nostra Curia exhibeant mandata Conseruatoria, alias expedita, si secus fecerint, reuocanda, & annullanda esse certò sciant, & pænas à Iure contra fraudem committentes sæuerissime luent.

13 Omnibus ad quos spectat significamus Decretum Sacræ Cōgregationis controuersijs iurisdictionalibus præpositæ sub datū Romæ die 18. Septembris 1639. Tenoris videlicet. *Sac. Congreg Cōtrauersijs iurisdictionalibus præposita Censuit Clericos nō gaudere exēptione pro bonis ad suscipiendos sacros ordines donatis, & assignatis, donec non fuerint in eisdem Sacris Ordinibus Constituti. & Episcopos debere cognoscere super fraudolentis donationibus, fuisse per eamdem Sacram Congregationem declaratum modo sequenti. Se li beni per il patrimonio Clericale ad effetto di promouersi à gli ordini sacri si assegnano à Clerici per tal effetto, restano gli medesmi beni appresso gli medesmi assignāti sino all'atto dell'Ordinatione. Non possano in questo mentre godere l'essentione, ne il priuileggio del patrimonio Clericale finche gli Clerici non siano promossi à detti Ordini Sacri. & in questi termini parla il Decreto della Sacra Congregatione sopra le controuersie giuriditionali. Mà se gli beni senza fraude (che dà Vescoui con integrità, e prestezza deue conoscersi) benche assignati per detto effetto d'ordinarsi à gli ordini sacri con titolo di donatione, ò altro titolo sono trasferiti, e venuti in dominio d'essi Clerici: senza dubio detti beni deuono senza dilatione godere l'essentione, che de iure, e de consuetudine compete à beni acquistati dà Cleriri espressa*

*nella decisione Brundusina corã bon. mem. Venia; e nella decisione Albanense coram bon.mem. Merlino approuate dalla medesma Sac. Congregatione, e da quella sopra Vescoui; ne perciò si può fare illatione, che per simili beni consignati, e trasferiti non compete l'essentione à Clerici. vt per litteras eiusdem Sacræ Congregationis sub datum Romæ 4. Augusti 1643. subscriptas ab Eminentissimo D. Card. Pamphilio.*

14 Ecclesiasticam libertatem Dei ordinatione, Canonicis sanctionibus, & Imperatorum legibus constitutam grauiter offendi nobis delatum est. Quo circa opportune consulere volentes decernimus, atq; præcipimus omnibus Gabellarijs, Datiarijs Carratarijs, Macellarijs, Piscatoribus, Panis, Vini, Carnis, Piscium, & aliarum quarumcunq; rerum Gabellis, & Datiis suppositarũ vẽditoribus, siue domini sint, siue, famuli, & siue ad grossũ siue ad minutũ vendentibus, Doaneriis, Portarum Custodibus, & aliis ad quos spectat, vt personas Ecclesiasticas tractent francas, & immunes ab omnibus datiis, & gabellis, & ne in illis sic tractãdis directe vel indirectè fraudẽ faciãt, penes se partẽ aliquã dictarũ immunitatũ ipsis Ecclesiasticis inuitis retinentes, vel vim aliquam facientes pro bonis de iure immunibus in introducẽdis, & educendis; alias sententiam Excommunicationis in Apostolicis sanctionibus sciant se incurrere, à qua non nisi à nobis satisfacta parte absoluẽdos esse declaramus.

15 Mandamus etiam, ne quicunq; is sit, aut quacunque prædita authoritate, & dignitate Ecclesiasticas personas impediat in libera venditione, & alienatione eorũ bonorũ, & mandata quæcunq; siuẽ inhibitiones, etiã sine scriptis quibuscunq; personis factas, ne eorũ opera Ecclesiasticis præstent, illorum bona, siue fructus non emant, aut vendant, Notarijs, aut Auctuaris de quibuscunque contractibus, seu distractibus instrumenta ne conficiant

per-

personas terrendo, ne ve Ecclesiasticis laici bona vendant, statim reuocet, alias perpetuæ maledictionis vinculo se nouerit innodatum.

16 Iniungimus autem omnibus Ecclesiasticis ne per se, vel per alios directè, vel indirectè in exigendis eorũ Immunitatibus, vel in non soluendis gabellis ex bonis non immunibus aliqua vtantur fraude, contra quos sæuerè per nostram Curiam procedi mandamus.

17 Sciant cuncti quod qui consanguineos, siuè affines Clericorum ipsorum Clericorum intuitù aliquo modo grauauerint, sententiã excommunicationis incurrere; & in hoc casu auctoritate etiam nostra ordinaria contra talia patrantes excommunicationem fulminamus.

18 Parochis omnibus Ciuitatis, & Diœcesis vt singulis tertijs Dominicis cuiuslibet mensis infra missarum solemnia ex sugectu vulgari sermone publicent tenorem Capituli Quamquam de Censibus, & Capituli finalis eodem titulo in Clementinis stricte præcipimus, & mandamus. Capitula citata hæc sunt, vt ad manus habeantur Vulgari sermone.

Il Primo. Cap. Quamquã. De Cẽsibus, & exactionibus. *Bonifatio VIII. ordina che se l'Vniuersità, ò qualche persona particolare forzarà le Chiese, ò le persone Ecclesiastiche à pagare le gabelle, ò qual si sia impositione per le loro robbe (le quali non per negotiatione traficano) ò per le loro persone. le particolare persone siano ipso facto scommunicate, e se fusse v niuersita sia interdetta, non giouando niuna consuetudine in contrario, nè ottenghino mai ò assolutione dalla scommunica, ò relassatione dall'interdetto insinche habbiano compitamente restituito.*

Il Secondo in cap. vltimo eodem titulo in Clementinis. Præsenti constitutione. *Clemente V. aggiunge. Che se qualche vno della Diocesi sà chi habbi ciò cõmesso, sia tenuto*

 *à pu-*

*à publicarlo, finche non costi che habbi pienamente sodisfatto.*

## *De Vita, & honestate Clericorum.*

## Caput Nonum.

1 OMnes Ecclesiasticæ personæ, quæ dignitates, personatus, officia, vel quæcunque Ecclesiastica beneficia etiam simplicia, libera, vel de iure patronatus obtinent, talarem, simplicem, moderatumq; habitum Clericalem ordini, & dignitati congruentem deferant, ac etiam clericalem coronam, eamque cōspicuam ad formam vniuscunq; ordinis rationi congruentem.

2 Nullo modo cicinnos circa tempora, aut barbam more militum nutriant; fugiant in vestibus, & omni alia corporis parte sordes; non enim affectatæ sordes, nec exquisitæ delitiæ laudem pariunt.

3 Arma omninò Clericis cuiuscunq; ordinis, & dignitatis interdicimus, pænas in edicto nostro desuper emanato impositas innouando, exceptis cultellis ad domesticum vitæ vsum accommodatis.

4 Caueant ne quid faciant quod graue, quod moderatum, quod religionis plenum non sit; leuia etiam delicta, quæ in ipsis magna videri poterunt, declinent, vt perfecta operum continuatione Deo Gloriam, bonam sibi famam, fidelibus salutem, atque ædificationem pariant. Quo circa personati nō incedāt, comædijs, choreis, aut vllis profanis spectaculis nedē operam alearū lusū, ac globos, qui malleis ligneis impelluntur, ac ludum pilæ maioris, venationes, commessationes, conuiuia, bibacitates, detractiones, mordacesq; sales, quibus offendi

quis

quis possit,atque omnia,quæ scandalum pariunt, quanta possumus authoritate prohibemus; conceditur tamen paruæ pilæ ludus valetudinis causa,non tamen publicè, nec intercedat pecunia.

5 Mercaturam omnis generis, & laicorum negotia non tractent, neq;se in eis mediatores adhibeant; aliena prædia,gabellas,vectigalia,nec per interpositas personas conducant, aut cum ipsis conductoribus aliquo modo participent. Teloniis,Cancellarijs secularibus non assistant; medendi arte non vtantur; in laicorum famulatu etiam Principum non sint; feminarum præcursores, aut Asseclæ non se demostrent; mulieres etiam illustres legere,scribere,cantare,aut aliquo instrumento musico sonare non doceant,nisi ob ætatem, & mores approbationem à nobis obtinuerint, sub pænis arbitrio nostro infligendis.

6 Concubinas, alias ve feminas suspectas in domo propria,siuè extra alere, retinere,aut cum illis familiaritatem habere prohibemus,Matres tantum,Sorores,Amitas, Fratrumque vxores excipimus. Ancillas nisi quadragenarias, & probatissimæ famæ non admittimus. Si quis autem mulierem aliquam suspectam penes se retinere,aut cum ea habitare,ausus fuerit etiam respectu domestici ministerii, primo ducatis quinquaginta in pios vsus erogandis; de inde,si quod superius statutum est, prætermiserit, suspendatur ab ordinibus, beneficiorũque administratione. Si verò tertio monitus parere neglexerit omnibus officiis, & beneficijs iuxta Sanctissimorum Canonum, & Sacri Concilij Tridentini dispositionem priuabitur; postremó si eodem cæno volutari perseuerauerit,per Censuras Ecclesiasticas, & carcerem reuocetur ad sanitatem,nulloque modo exire permittatur, nisi veræ emendationis signa manifesta ostenderit.

7 Ca-

7 Caueant Parochi ne, pro Sacramentorum administratione quidquam directè, vel indirectè petant, aut exigant; Eos verò qui secus fecerint vltra pænas à Iure statutas ab officio, & beneficio suspendimus. Pijs autem, ac laudabilibus cõsuetudinibus, quas nulla ex parte mutare liceat, in suo robore permanentibus.

8 In illorum administratione sanctæ Romanæ Ecclesiæ ritus obseruent, & ad Cathedralem se se conforment Ecclesiæ inferiores; & non alibi, quam in propria Parochia ministrentur, nisi cum necessitas vrgeat, vel cum nostra, siue nostri Vicarij Generalis licentia, & in illorum administratione superpellicio, & stola semper vtantur.

9 Omnibus Clericis etiam primæ Tonsuræ præcipimus vt proprium habeant super pellicium, qui post tres menses à publicatione huius nostræ Synodi illud sibi non comparauerit, in pænam ducatorum trium statim absq; alia monitione incurrat; & illo vtantur sẽper in functionibus Ecclesiasticis, non tamen extra Ecclesiam, nisi in processionibus.

10 Sacerdotibus omnibus singulis saltem diebus Dominicis, & festiuis, & maioribus sollemnitatibus sacræ Missæ sacrificium peragere iniungimus. Diaconi, Subdiaconi, & alii inferioris ordinis qualibet tertia Dominica mensis sua peccata confiteantur, & sanctissimo Eucharistiæ Sacramento muniantur, cuius curam ad magistros Ecclesiarum committimus, & qui prædictis sacris monitis non obtemperauerit, pæna carceris arbitrio nostro punietur.

11 Ad tollendas controuersias iurisditionales super exemptione, & fori priuilegio, præsenti nostra Constitutione præcipimus omnibus, & singulis Clericis etiã primæ Tonsuræ habitum, & Tonsuram Clericalem, vt nõ

pro

pro libito dimittant,neq; clericatui renuntient absq; nostra speciali licentia in scriptis,vel coram nobis ipsis tătum per actum publicum, alias omnem renuntiationem sic non factam nullam, inualidam, & nullius roboris declaramus, nec inaliquo renuntiantibus ipsis suffragari in iudicio quocunq; vel extra iudicialiter, & tali renunciatione non obstante ad huc nostræ Curiæ subiecti intelligantur.

12 Qni habitū dimissum propria authoritate,vel defacto reassumere præsumpserit absq; necessarijs requisitis de nostro speciali mandato conficiendis, quemadmodū fiunt pro initiandis primæ Tonsuræ, grauiter punietur.. Hoc mandamus obseruari iuxta laudabilem consuetudinem huius Curiæ Archiepiscopalis.

13 Qui matrimonium contraxerit,nullatenus habitum,& tonsuram Clericalem gestare præsumat absq; decreto nostræ Curiæ, & capta prius informatione quod cū vnica,& Virgine contraxerit,alias pænas arbitrio nostro reseruatas incurret.

14 Si contingerit aliquem Clericum in hebdomada pro seruitio Ecclesiæ sibi assignato pensum suæ seruitutis non persoluere ij ad quos cura Ecclesiæ spectat nobis denuncient pro opportuna prouisione.

## *De Sacramento Baptismi.*

## Caput Decimum.

1 NEmini liceat quemquam inter parietes domesticos Baptizare. si tamen instet periculum, permissa est facultas Baptizandi in priuatis ædibus Sacerdoti; vel si absit, alteri sacris initiato, 

vel si non adfuerit, Clerico si præsens fuerit; demum laicis primo mari tum feminæ, qui recte nouerint veram baptismi formam, & facere intendant, quod facit Ecclesia.

2 Hoc Sacramentum infra dies octo ad summum paruulis conferatur, ob periculum mortis, vt à diaboli potestate erepti, adoptionem filiorum Dei recipiant, & Parochis iniungimus, vt ad hoc exequendum magnopere inuigilent.

3 Obstetrices nisi a nobis approbatæ non admittãtur, si tamen ex eis aliqua decesserit, Parochus suo testimonio, quod gratis detur, aliam, quæ probata sit nobis nominet.

4 Si domi baptizatus postea superuixerit, intra octauum diem natiuitatis vel cum primum per valetudinem licuerit, in templo si statur; vbi si rité, recteq; baptismi formam seruatam esse apparebit, (quod diligentissime inuestigare ad Parochos pertinet) nequaquã iterum baptizetur, neq etiam sub conditione, sed sacræ tantum cæremoniæ in eo actu adhibeantur. Baptizabitur tamen sub conditionali forma, quando ignoratur, an infans fuerit ritè baptizatus, aut probabiliter timetur formam non fuisse seruatam.

5 Patrini, qui & Compatres appellantur, apud Deum pro baptizatis fideiussores sunt, cum primum baptizati rationis compotes fuerint, eos fidei rudimenta, orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, symbolum fidei, ac decalogum doceant, factiq; maiorum rerum capaces, ad omnes Christianas virtutes colendas hortari tenentur.

6 Baptizandorum parentes cum in ipso actu baptismali satanicis operibus, mundanisque pompis renunciandum esse sciant, omnino curent, vt ad Ecclesiam

absq;

absq; vlla pompa deferantur; si autem signa lætitiæ, quam in natiuitate filiorum patres habere solent, dare voluerint, quodcunq; in illo apparatu expen di oportet, ad pauperum substentationem liberali animo conuertant.

7 Parentes, & alios ad quos baptizandorum cura spectat, admoneat Parochus, vt honestum, & bene sonans nomen eligant, quodcũq; turpe, & absonũ respuãt (cũ ex honesto, & laudabili nomine etiam apud Ehtnicos laus resultet,) nomen ergo quod imponi debet sumatur ab aliquo, qui in Sanctorum Catalogum referri meruerit, vt baptizatus habeat quem, imitetur, quemq; sibi proprium faciat in suis, & animæ & corporis necessitatibus aduocatum.

8 Baptizatorum, eorumq; parentum, ac patrinorum nomina, cognomina, & patriam in libro ad id cõpaginato, diligenterq; asseruato, cum anni, mensis, dieique natiuitatis, annotatione à Parochis describantur.

9 Mulieres post partum ad Ecclesiam se recipiant, Deo omnipotenti gratias acturæ benedictionem à Parocho suscipiant; nec quauis de causa ingressu Ecclesiæ interdicatur, si talem sollemnitatem omissam facere voluerint. Parochus autem, aut alius puerperæ domũ non ingrediatur ad preces super ea fundendas, etiam si mulier ob aduersam valetudinem Ecclesiam adire nequeat.

10 Infantes cum primum suis viribus nituntur, & ambulare incipiunt, ad Ecclesiam perduci curet Parocus, vt ei initium vitæ consecretur, à quo reliqua progressionis vita dirigatur ad bonum.

11 Expositi licet appensum collo scriptum habeant, quo baptizati significentur, si tamen re diligenter

perquisita adhuc dubium sit eum esse baptizatum, sub cōditionali forma baptizetur.

12 Nemo præter Parochos qui facultatem à nobis nō obtinuerit tam secularis, quam regularis sacerdos obtēta prius etiam a suis superioribus licētia, hoc Sacramentum ministrare præsumat, & semper Parochi consensus accedat, & Capituli in Cathedrali iuxta morem. Exceptis casibus magnæ necessitatis.

13 Pro administratione baptismatis, & aliorum Sacramentorum nihil pro ministerio mercedis, quasi ex pacto petatur; non prohibemus tamen spontaneas oblationes pietatis, vel eleemosinæ titulo iuxta laudabilem consuetudinem, dummodo non videatur exigi pro mercede, & pretio rei spiritualis: quod autem sic laudabiliter traditur ad Parochum spectare decernimus.

14 Tenentes infantes post baptismum collatum in necessitate ad cæremonias supplendas nullam contrahūt cognationem.

15 Recolenda est quot annis dies Baptismi pijs operibus, Deo gratias agendo de tanto beneficio.

16 Archipresbyteri, Parochi, & Curati sub pæna maledictionis æternæ, & ammissionis ipso facto fructuum, prouentuum; & oblationum (quos neque in conscientia suos faciunt) per se ipsos & non per substitutos Sacramenta administrent quocunq; tempore. Non prohibemus tamen aliquoties posse à coadiutoribus adiuuari, qui a nobis, & ab Examinatoribus Nostris Synodalibus approbati sint nemo autē ad illa administranda se ingerat nisi vt supra approbatus, sub pæna suspensionis à Diuinis ipso facto incurrenda.


17 Parochi sub pæna ducatorum decem vltra biduum ab Ecclesia sua non absint; quod si ex legitima causa per aliquod tempus abesse contingerit bimestre tem-

pus

pus non excedat obtenta prius á nobis, vel a nostro Vicario Generali licentia in scriptis.

## *De Sacramento Confirmationis.*

## Caput Vndecimum.

1 Arochi per mensem, antequam hoc Sacramentum administretur, describant quos habiles in sua Parochia ad suscipiendum Confirmationis Sacramentum iudicauerint, eorumq; nomina ante diem administrationis ad nos deferant; sæpeq; præmoneant confirmandos, si qui adulta sint ætate, & ieiuni ad hoc Sacramentum, quando mane administratur, vt accedant, & prius peccata confiteantur.

2 Extirpetur abusus ille per linteolum, seù fasciæ solutionem, seù per aliam superstitionem, vanumque ritum contrahendæ Compaternitatis; & doceant populum Compaternitatem in hoc Sacramento contrahi inter easdem personas, sicut, & in Baptismo.

3 Regulares nullo modo teneant confirmandos. Susceptores sint vnus tantum siue masculus, siue fæmina, vel vnus, & vna, & alius debet esse abeo, qui fuit in Baptismo, nec plures trium eodem die cuicunque tenere permissum sit; & dum aliquis tenet, arma deponat.

4 Studiosè curet Parochus, vt confirmatorum parentum, & suscipientium nomina describantur, singulorumq; nomina in libro perpetuo asseruando referat.

## Caput Duodecimum.

1 SI in aliqua Parochiali Ecclesia, vel Collegiata ad huc Tabernaculũ, quo Sanctissimum Christi Corpus in processionibus defertur, vt decet, non dum confectum sit, ea forma fiat, vt perlucida sit Christallo, vel vitro, habeatq; lunulam cum suppofito, ex paruo scuto argenteo, vt claudi commodè possit, & aperiri.

2 In Tabernaculo, vbi Sanctissimum asseruatur, nihil aliud etiam pium, & sacrum contineatur.

3 Non exponatur à Regularibus sollemniter absque nostra licentia.

4 Feria quinta in Cæna Domini Canonici, & Clerus in Missa sollemni Communicent, Sacerdotibus addita stola.

5 Quælibet Ecclesia Parochialis duas habeat pyxides, vnam qua Sanctissimum Corpus asseruetur; alterã, qua deferatur ad infirmos; in Pyxide Altaris plures particulæ consecratæ asseruentur, atque singulis octo diebus die Iouis in memoriam Institutionis illius renouentur.

6 Cum Sacratissimum Christi Corpus in Sepulchro detinetur, vel adorandum exponitur, fæminæ neque circum sedeant, neque nimium, vt solent, appropinquent, sed facta oratione alijs locum cedant.

7 Colluceant continuo plures lampades, vel saltem vna ante cõspectum Tabernaculi, quæ ab introeuntibus conspiciatur.

8 Quando ad infirmos defertur, per Campanæ signum

gnum populum inuitari iubemus, vt qui voluerint intertitijs, candelisque accensis debitum cultum opportune præstare possint. Parochus verò superpellicio, stola, ac pluuiali albo (si fieri potest) indutus humiliter, & compositè sub decenti Vmbella etiam alba, in Pyxide duas saltē deferat particulas consecratas, vt altera ab Ægroto sumpta, altera cum eodem comitatu, & honore ad Ecclesiam reducatur.

9 Laternæ, quibus accensæ candelæ intromittuntur, ita aptentur, vt nulla vi ventorum, etiam vehementium extingui possint.

10 Non deferatur nisi ieiuno, & de mane, nisi aliter suadeat necessitas.

11 Hortamnr nō Clericos tantū, sed etiam vtriusq; sexus laicos, vt Diuinum hoc Conuiuium frequentent.

12 Si quem propriæ salutis oblitum, neglecto Ecclesiæ præcepto Sacram Eucharistiam saltem Paschalis solemnitatis tempore non sumere contingat (quod incipit à Dominica Palmarum per totā Dominicam in Albis) Pārochus, sub cuius cura illæ fuerint, statim die octauo Paschæ elapso nomen, & cognomen eius ad nos deferat; Vt in contumacem, Censuris, & pænis, quantum iuræ Canonico Statutum est, absque mora animaduertatur.

13 Et vt omnis tollatur excusatio non communicātibus post Dominicam in Albis Patochi inter Missarum sollemnia moneāt omnes non communicatos iam præcepti transgressores effectos esse, & ob inde vltra peccatū commissum reos esse pænarum, & Censurarum in Cap. *omnis vtriusque sexus* comminatarum; nempè Interdicti ab ingressu Ecclesiæ, & priuationis Ecclesiasticæ sepolturæ, vt eosdem sic lapsos possi mus tales declarare. Immò hac præsenti nostra Cōstitutione in illos Excommuni-

municationis Sententiam, eo ipso incurrendam ferimus, & promulgamus, mandantes ipsis Parochis, vt nostro nomine publicé monendo citent omnes non communicatos, quod nisi infra alios octo dies, idest per totam secundam Dominicam post Pascha cum effectu non communicauerint, per nostram Curiam, absq; alia Citatione, & monitione sed sola relatione Parochi in pænas, & Censuras supradictas incurrisse publicè declarabuntur; Teneãtur Parochi sub pæna arbitrio nostro reseruata huiusmodi contumaces protinus transacto tempore præcepti nostræ Curiæ denunciare.

14 Parochi, vt certo scire possint, an omnes eorum Curæ crediti Paschali tempore Eucharistiam sumpserint, vniuersos, & singulos mares, & fæminas doli capaces in suæ Parochiæ finibus commorantes describant, atque in Paschate non nisi ijs qui ipsis, vel alicui ex approbatis á Nobis Confessarijs, siuè Regularibus peccata sua confessi fuerint, Sanctissimum Sacramentum administrent. Qui verò eodem tempore Paschali à Parochia abfuerit, nisi cum reuersus fuerit, fidem afferat se alibi communicasse, Ingressu Ecclesiæ prohibeatur, donec Eucharistiam; vt virum Christianum decet in propria Parochia susceperit. Quod si interea eum mors præoccupauerit; Ecclesiastica arceatur sepultura.

15 Doceant Parochi sæpè populum, & præsertim adolescentulos, huius Sacramenti suauitatem, dignitatem, & fructus; & qua animi deuotione, & præparatione ad illud quisquis accedere debeat.

16 Clauis Custodiæ, seú Tabernaculi sit semper penes Parochũ, & in Monasterijs Monialium penes Cõfessarium, vel Capellanum; & in die Cœnæ Domini sub vna tantum claue, retinenda per Sacerdotem in crastinum Sanctissimum Sacramentum suscepturum asseruari

ri debet, & nullo modo apud perſonas ſeculares cuiuſcunque ſtatus, gradus, & conditionis, non obſtante quacunque conſuetudine.

17 In die Paraſceuæ nō eſt diſtribuenda Euchariſtia alijs, quam infirmis, quibus nunquam deferatur, vt eam tantum adorent.

18 Sacro Sanctam Euchariſtiam ſemel cōſtitutus in mortis periculo per modū viatici, ſi quis acceperit, poterit perſeuerante eodē periculo iterum accipere per eumdem modum; Ideo Parochi illam non denegent tranſactis octo diebus. Burſam pro aſpartanda Pyxide cum Sanctiſſimo ad infirmos omnino habeant, atque vtantur Parochi.

19 Si quis ſanus de mane Sacra Communione recepta, poſt prandium in morbum incideret, ita periculoſum vt probabili medicorum iudicio vſque ad ſequentem diem viuere non poſſet, & humiliter non ieiunius iterum Communicare peteret, Parochus non deneget, ſed tanta ſpirituali conſolatioue illum frui conſentiat.

20 Demum monemus omnes Chriſti fideles probabile aliquod periculum ſubituros, iter longum, ac arduum vel periculoſam nauigationem aggreſſuros, nec non mulieres de proximo parituras, & ſenes, vt Sanctiſſimo Chriſti Carpore ſe muniant, vt vti proximores periculo tutiores ad gloriam conſequendam reddantur.

De

## *De Celebratione Missarum.*

### Caput Decimumtertium.

1 ET quoniã in hoc diuino sacrificio, quod in Missa paragitur idem ille Christus continetur, & immolatur, qui in Ara Crucis semel se ipsum cruentè obtulit, Estquè verè propitiatorium, monemus Sacerdotes postquam perpenderint quantum, qualeq; sit eorum munus, qualisq; dignitas, vt Missam cum summa mentis puritate, & timore celebrent, quod assequi facilius poterunt, si per Nos statuta obseruare curabunt, pro vt obseruari mandamus.

2 Post Sacramentalem Confessionem priusquam Missam incipiant, Orationem aliquam ex ijs, quæ in Missali reperiuntur genibus flexis ante Crucifixi imaginem recitent.

3 In sacristia, vbi Sacerdotes sacris induuntur vestibus, appendantur tabellæ, in quibus præter sacras Imagines huiusmodi etiam Orationes descriptæ sint.

4 Antequam é Sacrario Sacerdos Missam celebraturus egrediatur, percurrat, quæ recitare debet in Altari; Campanula in exitu ante pulsetur, vt in Ecclesia, & extra sistentes admoniti, possint Missæ celebrandæ interesse.

5 Vsum pileoli etiam extra Canonem prohibemus, prout etiam omnibus Canonicis, Doctoribus, Prothonotarijs non participantibus, & quibuscunq; alijs vsum annuli in missa sub pæna amissionis illius, & alia arbitrio nostro reseruata.

6 In qualibet Ecclesiæ Parochialis sacristia singulæ Cellulæ adusum orandi, & meditandi instituantur, in

quo-

quolibet Altari Crnx ſit affixa, etiam ſi eſſet Icone depicta. Vltra Purificatorium habeat in Altare Sacerdos linteolum pro abſtergendis manibus.

7 Miſſam Sacratiſſimi Roſarij ad vſum Ordinis Prædicatorum conceſſam, item de quindecim auxiliatoribus, Sancti Gregorij pro viuis, & defunctis, & de Patre Æterno, & quaſcunque alias à Sacra Rituum Congregatione non approbatas non poſſe recitari declaramus. Qui verò Miſſam de Roſario recitare tenetur, poteſt aliã de Beata Virgine dicere, vt ſuo muneri ſatisfaciat.

8 Sacerdotes alienæ Diœceſis non prius ad Sacrum peragendum admittantur, quam ſui Ordinarij litteras recentiores Nobis vel Noſtro Vicario Generali exhibuerint, & in ſcriptis facultatem obtinuerint; quod etiam obſeruari mandamus in Eccleſijs Regularium.

9 Viri, & mulieres gradibus Altaris non inhæreant, nec propè Altare ſint, dum Miſſa celebratur; Ideo Sacerdos longius abduci curet.

10 Qui pro alio celebrandi munus ſuſceperit, vel Capellaniam exercuerit non antea ſuſceptum munus, vel Capellaniam deſerat, niſi eum, cuius nomine celebrat, per menſem ante præmonuerit, vt opportunè alium Sacerdotem perquirat, qui in eius locum ſuccedens, muneri debito ſatisfaciat.

11 Vt deinceps exploratum eſſe poſſit, an Miſſæ quæ celebrari debent, reuera celebrentur, liber in Sacriſtia cuiuslibet Eccleſiæ habeatur à Sacriſta, ſiue ab alio à Capitulis deputando cuſtodiendus, in quo ſinguli poſtquã Miſſam celebrauerint ſiuè proprio, ſiuè alterius nomine ſtatim propria manu ſcribat quo die, in quo Altari, & quo nomine Miſſam cælebrauerint; qui verò huic decreto non obtemperauerit, proinde ac Miſſam non celebraſſe mulctetur. Libri autem prædicti tertioquoque mẽ-

sc in nostra Cathedrali recognoscantur, abijs, ad quos ex consuetudine pertinet. Et quos minimè satisfecisse cognouerint vltra pœnam suspensionis à Nobis alias inflictam pæna granorum triginta pro qualibet Missa non celebrata puniantur, in celebratione Missarũ omissarum statim impedenda, quod autem superest sacristiæ applicetur, quod obseruetur cum beneficiatis, & habentibus pia legata.

12 Dcreta Sacræ Congregationis de Celebratione Missarum sub pænis in illis contentis, & alijs arbitrio Nostro reseruatis inuiolabiliter obseruentur; Onus celebrationis Missarum pro vna die, vel hebdomada adimplendum vltra Octo dies differri non possit, nisi infirmitate impeditus Sacerdos satisfacere minimè possit; Quo casu tempus vnius mensis concedimus, & non vltra, etiam si infirmitas vltra progrederetur.

13 Missa Conuentualis omitti nullo modo potest, & si duæ dicendæ sint Missæ, vt euenit in aliquibus anni diebus, ambas esse cantandas declaramus.

14 In omni Sacristia habeatur Tabella cum nominibus excomunicatorum, & interdictorum, vt euitari possint maximè in Diuinis. Nemo audeat habere fenestras à suis domibus in Ecclesias respicientes pro Missa audienda, hoc enim est prohibitum.

15 In Ecclesijs Monialium nemo celebret absque Nostra, vel Nostri Vicarij Generalis licentia, sub pæna suspensionis ipso facto, Nobis reseruata.

16 Missam quoque de requiem in festo duplici non de præcepto pro adimplenda defunctorum voluntate celebrandam toleramus etiam extra Altare Priuilegiatum, & quando occurret variari diem, veluti in Anniuersarijs. in festis de præcepto, tunc, vel in præcedentem diem, vel in sequentem celebretur.

17 Missæ

17 Missæ Regularibus concessæ non possunt à Sacerdotibus secularibus in Ecclesiis Regularium celebrari, sed Ordinariæ appositæ in Missali, seruatis rubricis; Capellanique Monialium in illarum Ecclesiis celebrãtes occurrente festo proprio illius Religionis, non celebrent alias Missas, nisi in Missali descriptas.

## *De Sacramento Pænitentiæ.*

## Caput Decimumquartum.

1 Arochi, & alii ad audiendas Confessiones aprobati in huius Sacramenti administratione paterna caritate, ac sancto zelo moueantur ad Christi Domini exemplum, *qui cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*. Id circo dum Confessiones audiunt, non faciant signa admirationis, nec suspirent, nec alios actus insuetos, sed patienter se gerant. si pænitentibus sint danda interrogatoria, illis vtãtur personarum qualitate pensata, sintque in hoc cauti maximè cum mulieribus, quas sicut nec adolescentulos ante solis ortum, nec post illius occasum audiant, sub pæna suspensionis etiam respectu Regularium ab audiẽdis Confessionibus. Extra Confessionarium Confessiones non audiant, nec sine superpelliceo, & stola exceptis Confessionibus Sacerdotum, finita autem Confessione cum mulieribus in eodem loco non immorentur.

2 In quolibet Cõfessionali ad sint tabellæ Bullæ Cænæ Domini, & Casuum Nobis reseruatorum.

3 Regulares sub pæna suspensionis ab audiẽdis Cõfessionibus audita Ægrotorum Confessione in illorum domibus, moneant Parochos præfatorum Confessionem

nem audiuiſſe, vel ſcriptam atteſtationem pænes ipſos Infirmos dimittant.

4 Sint cauti Confeſſarij in caſibus ſollicitationis in Confeſſionie, & obſeruent Conſtitutionem Sanctæ memoriæ Gregorij XV. & literas Sacræ Congregationis de ſuper æditas, in fine Synodus epilogata.

5 Si quando Cōfeſſarijs quauis autthoritate licebit pænitentium Vota Commutare, ea in alia maiora pietatis opera, vel Deo gratiora, vel ſaltem quæ tantumdem valeant, commutent; qua in re iudicanda rationē habeant ſumptuum, laborum, moleſtiarum, & omniū incommodorum, quæ pænitentes perpeſſuri erant, ſi votum, quod ſanctè cōceperant re ipſa impleuiſſent.

6 Si pænitentibus præſcribenda eſt pænitentia aliqua in pecunia non ſibi Confeſſarij, ſed locis pijs attribui curent, vt in pietatis opera erogentur; nec huius pecuniæ curam diſtribuendæ ipſi ſuſcipiant, aut ſibi dari curent, ſi quid eleemoſinæ cauſa pænitenti erogandum eſt, in Miſſas dicendas ipſi ſuſcipiant.

7 Si incertis reſtitutio ſit facienda, reſtitutionem illā ſibi nō applicet Cōfeſſarius ſub titulo paupertatis, nec illam diſtribuat Nobis in conſultis; liberum tamen ſit Confeſſario de ſumma Carolenotum viginti non vltra diſponere, ſi tanta eſt reſtituenda, nihil tamen ſibi retineat.

8 Quo diligentius ab excommunicationis vinculo ſe fideles abſtineant, Parochi eos ſæpè doceant, quam ſit grauis excōmunicationis pæna, & quam valde omni ſtudio Cauenda.

9 In præſtanda abſolutione ei qui propter infirmitatis dolores non poteſt omnia peccata dicere, & immineat periculum mortis, id obſeruandum eſt, vt illum Confeſſarius abſoluat ſi vnum, vel plura dixerit peccata

cata ſub conditione *in quantum poteſt, & indiget*, & ſi nullum expreſſerit peccatum, dederit tamen contritionis ſigna eodem modo debet abſolui; Tenetur tamen pænitens ſi conualuerit, omnia peccata confiteri.

10 Si denuntiatos excommunicatos non ſe contineri, ſed palam conuerſari nouerint, id totum Nobis ſignificent, vt pro eorum ſalute iuris remedia adhibeamus.

11 Nomina Confeſſariorum à Nobis approbatorũ in tabella ordine deſcribantur, quæ ad valuas Sacriſtiæ in omnium ſit conſpectu.

12 Singulis annis Paſchæ tempore confitentium nomina, & cognomina in librum certum deferant; quem nobis petentibus promptè oſtendant, ac tradant; Proinde in hebdomada, quæ Quadrageſimam proximè præcedit ad Patrumfamilias ædes ſingillatim eant, ac videãt accuratè, qui obligatione huius Sacramenti ſuſcipiendi, & Sacræ Euchariſtiæ Paſchæ tempore deuincti ſint, eorumque nomina, rectè deſcribant. Pueros iam ſeptennes examinent Parochi, & ad Confeſſionem aſſuefaciant, & vnum quemque illius ætatis ad hoc præceptum adimplendum declarent obnoxium.

13 In prima Dominica Quadrageſimæ per ſe, vel per Concionatorem populum moneant, vt ſinguli ante Dominicam Palmarum confiteantur, vt purgatiores ſe reddant pro recipienda Euchariſtia in Hebdomada Sancta.

14 Mulieribus infirmis aperto, & patenti oſtio Cubiculi, in quo degunt, ita vt ab aliis conſpici, non audiri poſſint, hoc Sacramentum, cum ad illas vocari cõtingerit, miniſtrent; quod ad Confeſſores etiam Regulares extendimus.

15 Regulares Confeſſarij Ægrotantium confeſſiones

nes audientes, vt in Ecclesiis suarum Religionum sepul, tutam eligant, vel iam electam vlterius non immutent, non inducant; memores pænarum á Sacris Canonibus inflictarum, præsertim Excommunicationis latæ seutentiæ, cuius absolutio Sedi Apostolicæ reseruatur; sed nec illis, vt in quacunque Ecclesia sepeliantur, proponendo suggerant.

16 Confessarij etiam Regulares alloquentes de rebus inhonestis, & obscænis ad malum finem pænitentes, seu sibi confitentes, (etiam extra Casum Constitutionis Gregorii XV.) velinhonestis quoque aut turpibus actibus tangentes, aut carnaliter cognoscentes (quod Deus auertat) eo ipso à facultate Confessionemau diēdi sint suspensi.

17 Caueant Confessarii Seculares, siue Regulares, sub prætextu cuiuslibet priuilegii, siuè indulti suis ordinibus, Collegiis, Societatibus, Archiconfraternitatibus, secularibus, vel personis particularibus, aut alias quomodocunque concessis aliquo casu etiam necessitatis vel impedimenti, excepto mortis articulo, absoluere à Casibus, & Censuris Nobis, & in Bulla Cænæ Domini legi solita clarè, vel dubiè contentis; alias incurrent pænas Excommunicationis, Priuationis officiorum, dignitatnm, beneficiorum, inhabilitatis ad ea imposterum obtinenda, ipso facto, absque alia declaratione, & à nullo absolui possunt, vel habilitari respectiuè, nisi à Sede Apostolica, præterquam in atticulo mortis; quoad pænitentes verò absolutio est nulla.

18 Confessores cum ad audiendas Confession es accedunt, mentem ad Dominum dirigant, illumque enixè precentur, vt in eis cor mundum creet. & innouet spiritum rectum in Visceribus suis; Et quia docebunt iniquos vias eius, non auferat ab eis Spiritum Sanctum suum,

det-

detque pænitentibus cor docile, & ponat in eis viam iustificationum, vt exquirant eam semper.

## *De Extrema Vnctione.*

## Caput Decimumquintum.



1 PArochi ad huius Sacramenti Collationem Oleo anno præterito benedicto non vtantur, sed illud comburatur.

2 Pueris doli capacibus, etiam adhuc Sacra Communione non refectis, hoc Sacramentum administretur.

3 In eadem infirmitate cum recedit, & iterum in vitæ discrimine infirmus fuerit, licet non surgat electo, reiterari potest; tunc enim dicitur diuersus infirmitatis status, cum nouum periculum mortis superuenerit.

4 Curent Parochi, vt Ægroto, dum integris est sensibus, conferatur, & cum ad vngendum infirmum accesserint, diligenter eum cõsolẽtur, & hortẽtur vt bono animo sit, & à curis, & desiderijs huius vitæ ad Cælestis Beatitudinis cogitationem ita se erigat, vt abiecto mortis metu, se á Deo in æternam requiem vocari gaudeat; Omnes verò astantes moneantur, vt preces pro eo Christo Domino faciant.

5 Cui hoc Sacramentum Confertur, debet esse contritus, vel saltem attritus, reputatus contritus; ideò reconcilietur prius infirmus, si loqui valeat, alias ad actus Contritionis maiores, quam potest, inducatur.

6 Collato hoc Sacramento, Parochus cum infirmo, si potest, recitet Symbolum Apostolicum, & faciat illũ protestari se velle in ea fide manere, & mori.

7 Si dubium est an infirmus sit viuus, vel mortuus, incipiat

cipiat Vnctionem cum conditione, *si Viuis*.

8 Existentibus in articulo mortis, non ex præcedēti infirmitate, sed ex senectute, ex partu, ex veneno, ex peste, ex vulnere letali, & similibus, hæc vnctio ~~non~~ adhibeatur; isti enim dicuntur esse infirmi ex repentino morbo.

9 Non alius Sacerdos, nisi Parochus hoc Sacramentum administret. Si vero is impeditus erit, aut alias in mora est, & periculum mortis instet, tunc alius Sacerdos ministret; Caueant tamen Parochi ne in eo ministrando negligentiam, aliamue culpæ moram contrahant, alioquin vltra Diuinam vltionem á nobis grauiter punientur.

10 In deferendis Sacris oleis vtatur superpelliceo, & stola, luminibus præcedentibus, & imagine Crucifixí. In reliquis cum Rituali Romano ad vnguem se conformet. Ideoque sæpè sæpius illum perlegat.

## *De Sacramento Ordinis*

## Caput Decimuosestum.

1 SI ad hanc nostram Ciuitatem, vel Diæcesim exteri ordines recepturi accesserint cum suorum ordinariorum dimissorijs litteris, si illæ tempus trium mensium excesserint, non admittantur. aduertant insuper quod qui acceptis à Nobis dimissorijs ab alijs Episcopis ordinati fuerint, infra mensem susceptorum ordinum litteras ostendere in Cancellaria adnotandas in libro ordinatorum teneantur; Sub pæna suspensionis ab exercitio ordinis suscepti ipso facto incurrenda.

a Re-

2 Regulares verò, si admitti voluerint cum litteris suorum, Superiorum etiam de emissa regulari professione testantibus, & de Diæcesi, in qua sunt locales, compareant, coram Nobis iurent se sponte Professionem sollemnem emmisisse, aut ratam habuisse.

3 In regularibus autem extra Nostram Diæcesim habitātibus, de fide absentiæ illius loci Ordinarii, vel quod ipse Ordinationē nō sit habiturus, quodq; ipsi regulares absq; fraude, nec ex industria à suis Superioribus easdem Dimissorias litteras in id tēpus, quo Episcopus Diæcesanus, vel absens, vel ordinationes non sit habiturus, impetrare distulerint.

4 Qui promoueri ad altiores Ordines desiderat, non admittatur nisi docuerit de exercitio præcedentium Ordinum,

5 Ordinandi ad titulum annuorum introituum, teneantur præstare Cautionem, quod si census redimetur, pecunia capitalis apud personas moribus, & facultate idoneas deponetur ad effectum, vt denuò inuestiatur.

6 Examinatores ratione Examinis nihil prorsus ; ante, vel post examen accipiant, idq; præcipue Caueant Examinatores Synodales pro iis, qui ad Parochiales Ecclesias sunt promouendi, sub pænis à Sacro Concilio Tridentino statutis.

7 Nullus Sacerdos, vel Clericus secularis, aut Regularis Exorcistæ fungatur officio sine nostra licentia in scriptis impetrata, & in Ecclesia tantum Exorcismi fiant paucis præsentibus, vno saltem Ecclesiastico, neq; ante Ortum, neq; post Solis Occasum.

8 Pro singulis litteris Dimissoriis, aut testimonialibus, etiam si in illis plures ordines, cum Sanctæ Sedis dispensatione, aut Nostra in Casibus à iure Nobis Con-

cessis, Notarii Nostræ Curiæ, siuè Actuarii, vel scribæ obseruent Cōstitutionem Sac. Cōcilii Tridentini, quibus ii quibus per Nos Cōmittūtur facultates publicationes faciēdi pro ordinandis, siuè in prima Tonsura, siuè in aliis ordinibus maioribus, vel minoribus, ac etiam Parochi nihil prorsus accipiant. Pro informatione tamen Capienda, de Natalibus eorumdem, Vita, Moribus, & aliis requisitis, eorum salarium non excedat Carolenos quinque incluso labore scriptoris, sub pæna Excommunicationis ipso facto incurrenda, á qua minimè absolui possint, nisi facta restitutione, & cum licentia Nostra, aut Nostrij Vicarii Generalis.

9 Qui sine habitu decenti ad examen accesserit reiciatur, & si ad ordinem Subdiaconatus promoueri intendat, examinetur, si idoneus est, & valet recitare diuinum officium, & si sit in illo peritus.

10 Parochi, & alii per nos deputandi ad capiendas informationes de requisitis ad recipiendos ordines tam sacros, quam minores, sub pæna excommunicationis coram se ipsis testium examinandorum depositiones recipiant, sintq; personæ legales, fide digni, & quoad fieri potest scientes legere, & scribere, illasq; informationes ad nos clausas, & obsignatas transmittant; In capiēdis informationibus sequentibus vtantur instructionibus, alias processus nullos declaramus.

11 Pro promouendis ad primam Tonsuram, & minores Ordines, proponant infra Missarum sollemnia eorum desiderium publicè, qui promoueri volunt in tribus diebus Dominicis, vel tribus diebus festiuis de Præcepto, & de his publicationibus fidem faciant.

12 Item á personis fide dignis de eorum natalibus, ætate, vita, & moribus inquirant, & de eorum Confirmatione pariter fidem in requisitis inserant, de Origine,

vel

vel decennali Domicilio in Diæcesi, & de spe, quod ad vlteriores ordines sint ascensuri, & de frequentatione scolæ.

13 Quod in præcedentibus se exercuerint in Ecclesia, cui fuerunt ad scripti, & quod habitum Clericalem assiduo gestant, & frequentantSacramenta Pænitētiæ, & Euchariſtiam suscipiant.

14 Item quod si initiandus primaTonsura ætatis sit annorum decem, & octo completorum publicum testimonium à Iudice laico, quod nullius culpæ sit reus, & ab Vniuersitate quod nihil ratione administrationis debeat, secum afferat.

15 Pro promouēdis ad Sacros Ordines, factis tribus publicationibus in tribus diebus Dominicis, vel tribus festiuis de præcepto eodem etiam tempore, & tribus reiteratis vicibus populo proponant patrimonium ad cuius titulum erit promouendus, vt reueletur an sit verum, vel simulatum, aut creditoribus obligatum, & cuius sint redditus.

16 Eodem tempore cōtinuate pendeat Cartella in porta Ecclesiæ Maioris continens bona donata, vel quolibet alio titulo ad ordinandum peruenta, cum finibus, & confinibus nomina donantium, & illorum valorem, in fructibus annuis, & iniungatur omnibus, vt qui scit an illa bona non sint propria donantium, aut sint litigiosa, aut non ab eis possideantur pacificè, aut alijs creditoribus obligata, vel non tanti redditus, sub pæna peccati mortalis, reuelent Parocho vel Commissario ad huiusmodi informationes capiendas per nos deputato, sitque Cartella ipsa manu Parochi subscripta, aut Commissarii, & elapso statuto, vt supra, tempore, refigatur, & in illius pede ad sit fides affixionis, & defixionis, & inseratur in requisitis cùm attestatione, quod nihil fuit

 op-

oppositum, vel de iis, quæ opposita fuerunt.

17 Examinentur etiam tres testes, & non minus fide digni, & quoad fieri potest diuites, quibus deferatur iuramentum de Veritate dicenda, eisque vis Iuramenti significetur, & interrogentur singuli diuisim an bona donata sint propria donantis, illaque pacificè possideat? An sint alijs creditoribus obligata? Cuius sunt redditus? Et an donatio illa sit vera, vel simulata, & adsit aliquod pactum inter donantem, & donatarium de illis restituẽdis? Et reddant causam scientiæ.

18 Deinde iuramentum præstet donantibus, quod donatio est vera, & realis, & absque fraude, & simulatione, & quod nõ est alijs creditoribus obligata, & quod in futurum minimè retrocessionem illius recipient sub pæna Excommunicationis, nisi Nobis, & Nostra Curia Consultis.

19 Hoc idem iuramentum ordinandis per Nostrum Archidiaconum prestetur, vel alium à Nobis deputandum. Iuxta formulam in prima Synodo Iesualdi felic. record. sub titulo de Ordine. Et est tale.

*EGO N. iuro quod in assertione bonorum Patrimonialium, ad quorum titulum sum promouendus ad Sac. Ord. nulla frans, aut dolus intercessit; quodquè illa verè possideo, neque imposterum directè, vel indirectè alienabo, nisi fuerit mihi de Beneficio Ecclesiastico æquè sufficienti prouisum: quo casu idipsum non faciam sine consessu mei Archiepiscopi, in licentia ipsius alienationis exprimendo. Beneficium autem, quod in dicti tituli mei locum successerit sine simili cõsensu nõ resignabo. Ita me Deus adiuuet, & hæc sancta. &c.*

20 In quolibet autem Ordine Sacro post Subdiaconatum capiant informationes de existentia tituli, ad

quem fuit ordinatus.

21 Huiusmodi autem informationes, publicationes, & Cartella, lapso duorum mensium tempore nullam fidem faciant, sed iterum repetantur.

22 Nullus Ordinandus pro faciliori assecutione Ordinis adhibeat deprecatores, aut commendatitias litteras, alias transgressor per annum ab Ordinatinne arcebitur.

23 Monemus etiam Examinatores omnino abstinere à commendando quemcunque ordinandum, aliquin commendatus pro illa vice carebit beneficio ordinum, & commendans ipse illo officio priuabitur.

24 Qui sub fictitio; & ementito, titulo vel minus sufficienti se ordinari passus fuerit, Cēsuras, & pænas à Sacro Concilio Tridentino innouatas incurrisse sciat,

25 Beneficium, pensionem, vel patrimonium ad cuius titulum quis est in Sacris ordinatus, non potest dimitti, vel extingui, etiam si ordinatus habeat vnde viuere possit sine Nostra licentia. Si secus factum fuerit, & alienatio, remissio, & extintio nulla sit, & pænas à Iure Statutas incurrat.

## *De Sacramento Matrimonij.*

## Caput Decimum Septimum.

1 CAusas matrimoniales nullus Curatus, siue Parochus, siuè quocunque nomine vocetur, cognoscat sub pæna suspensionis ipso Iure à Diuinis incurrēda, & alia Nobis reseruata. Si qua tamen difficultas emerserit in denuntiationibus, siue in impedimentis Nostrum adeant Tribunal.

2 In

2 In Matrimonijs Exterorum, & Vagorum nullatenus se intromittant Archipresbyteri, siue Curati, nisi prius per Nos, siuè per Nostrum Vicarium Generalem fuerint obseruata omnia per Sacram Congregationem Eminentissimorum stabilita, sub pænis arbitrio Nostro grauiter imponendis.

3 Denunciationes fiant ter tribus diebus continuis festiuis de præcepto inter Missarum solemnia,& eodem die, quo Copulantur,non celebretur Matrimonium, nisi necessitas sit, aut quia instant dies prohibiti, aliud suadeat;& quocunque impedimento delato, etiam falso, ne vlterius procedatur sine licentia Nostri Tribunalis. Et si Matrimonium non fiat intra duos menses ab vltima denunciatione, illæ repetantur.

4 Quoties denuciationes huiusmodi sunt faciendæ, & populi concursus non adsit hoc casu etiam Tabella in locis publicis Ecclesiæ affigatur, in qua contrahentes describantur cum nomine, cognomine, & Patris,& Matris;& Patriæ.

5 Antequam Parochus denunciationes incipiat à consanguineis, & Curatoribus coniungendorum, ac etiam ab ipsis Sponsis seiunctim consensum recipiat, si denunciationes fieri placet. Qua in re solum consensum faciendarum denunciationum, non matrimonij perquirat, idque á femina in loco honesto, & in propinquorum conspectu, ita tamen, vt nemo ita sit propè, vt illa præ pudore, vel alia causa minus liberé, exprimere audeat.

6 Cum per vicos,& plateas nupta ducitur, clamores, tumultuosasque voces, obscænasque prohibemus, tamquam à Matrimonij sanctitate alienas sub pæna Excommunicationis.

7 Expedit maximè animarum saluti, vt semel tantum

tum in anno in frequentiori populi concursu, Parochus Matrimonij impedimenta denunciet, quod vt efficiat quilibet, præcipimus, & mandamus.

8 Excomunicationem latam à felic. record. Domino Patriarcha Iesualdo Archiepiscopo Prædecessore Nostro contra scelestè Copulam habentes ante contractum Matrimonium per verba de præsenti, & contra alios in Constitutione per eumdem Dominum nominatos in eius prima Synodo Diæcesana sub titulo de Matrimonio in § Execrabilem; confirmamus, innouamus, extendimus, & declaramus: vt scilicet Sponsi vel Sponsæ non accedant ad cohabitandum vel copulam habendam ante contractum matrimonium domum, in qua est Sponsa, vel Sponsus; Alioquin si accesserint, ad habitandum vel Copulam habendam sint ipso facto Excommunicati; in qua excommnnicatione comprehenduntur consulentes, adiuuantes, & cooperantes; reseruata Nobis, vel Nostro Vicario Generali absolutione. moneant tamen Parochi, & quantum, in ipsis est faciant, vt factis sponsalibus, ac tribus denunciationibus, quam primum Sponsi contrahant Matrimonium per verba de præsenti ad tanti peccati periculum euitandum.

9 Duos habeat Parochus libros benè compactos, in altero Matrimonij deunciationes, in altero verò contractum per verba de præsenti cum nominibus testium describat. Quid quid verò in dictis libris singulis annis scripserit, infra Octauam Assumptionis Nobis rescriptum tradat.

10 Si per Nostram Curiam aliqua denũciatio omitti decernitur, tunc á Parocho populo denuncietur, quod illa vnica, vèl bina denunciatio sit, vt possint reuelari impedimenta.

11 Denunciationes non fiant si sponsi in ætate legi-

tima

tima constituti non fuerint, quæ in masculo est annorum quatuordecim completorum, in femina annorum duodecim pariter completorum.

12 Qui sponsalia, mutuo interueniente consensu, de futuro contraxerint, ea nullatenus dissoluere de facto, præsumant, nisi legitima causa per Nostram Curiam discernenda, & decernéda intercedat sub pæna Excommunicationis.

13 Coniunges, qui benedictionem sacerdotalem non acceperunt infra terminum dierum octo ab hodie illam accipiant, alias Parochus id nobis denunciet, vt contra eos, tamquam contra Ecclesiasticos ritus comtemnentes procedamus.

14 In coniungendis sponsis in matrimonium Parochi obseruent, quæ ordinata sunt in Rittuali Romano.

15 Quamuis matrimonia à filijs familias sine paréntum consensu contracta irrita minimè sint, & parentũm consensus ea rata,&irrita facere nō possit, dummodo libero contrahentium consensu facta sint; tamen cum honestissimum videatur, & rationi summopere consentaneum, vt filij familias in re tam graui consilijs, & voluntati parentum subiaceant; propterea quilibet Parochus diligenter inquirat hunc consensum tam coniungendorum, quam propinquorum consanguineorum, & præcisè parentum, quod si quid dificultatis compareat coram Nobis, vel Nostro Vicario Generali prius admonitis, quid sit faciendum, responsa expectet.

## Caput Decimum Octauum.

1 IN Processionibus ea fieri prohibemus, quæ irreuerentiæ, & risus existunt; propterea, vt ea, qua decet reuerentia, deuotione, grauitate, & modestia peragantur, actiones, seu repræsentationes qualcunque fieri prohibemus, instrumenta musica cuiuscunque generis in processionibus vetamus.

2 Laici quicunque sint inter Clericos interiecti, & commisti non incedant, sed eorum locum post Confraternitates, Regulares, & Clerum teneant.

3 Dum Processiones diriguntur, vnusquisque suum teneat locum pro sua gradus, dignitatis, & ordinis prærogatiua, nihilque sit præposterum, vel indecorum, sed omnia Christiana pietate fiant, omnesque in sancto silẽtio, & decenti incessu comitentur.

4 Processiones publicas, siuè solemnes, nullus indicere valeat sine Nostra, vel Nostri Generalis Vicarij licentia; quas de nocte fieri prohibemus.

5 Nullus tempore Processionis, neque masculus neque femina fenestris insideat, sed prosequatur, aut saltem in atrio, aut intus domum genuflexus Deo preces fundat.

6 Regulares, & exempti quomodolibet extra propria Monasteria Processiones non faciant; inuitati autem ad Processiones omninò accedere teneantur iuxta Sacri Concilij Tridentini dispositionem, alias contra eos procedemus pænis, & censuris a sacris Constitutionibus permissis.

7 Picturæ profanum aliquod præseferentes, quæ in

Processione deferantur, omittantur.

8 Pulsentur sollemniter Campanæ ab initio Processionum, quoad Vniuersus Clerus ab Ecclesia ad loca statuta prodierit, idemque fiat, cum ad Ecclesiam Processionaliter redierit.

## *De Quæstoribus.*

## Caput Decimum Nonum.

1 ELeemosinarũ quæstores nullatenus permittimus; & Rectoribus Ecclesiarum præcipimus, ne in eorum Parochijs eos admittãt, nisi expressam licentiam, subscriptione, Sigilloque Nostro aut Nostri Vicarij Generalis munitam, petendi eleemosiuas obtinuerint, quæ nisi probatis personis, nobisque satis notis non concedetur. Qui veró nobis annuentibus petere eleemosinam poterit Indulgentias non publicet, Verbũ Dei non prædicet, Campanulam priuilegia, sacras Imagines, aliaq instrumenta non deferat, Reliquias, Coronas, Medalias non dispenset, sed simpliciter, ac modestè petat: qui secus facere depræhensus fuerit, & collectas eleemosinas, & sacras Imagines amittat, & alias pænas arbitrio nostro luet.

2 Laici non quærant eleemosinas pro aliqua causa, nisi cognita per Nostram Curiam sub pæna Excommunicationis.

3 Qui á Sancta Sede Apostolica quæstum faciendi facultatem habuerint eleemosinas nullo pacto petere audeant, donec Apostolicum diploma diligenter examinatum per Nos fuerit.

4 Aliàs Sacra Congregatio Eminẽtissimorum Cardina-

dinalium Sacri Concilij Tridentini interpretum decreuit non esse permittendum, etiam Regularibus quantumuis exemptibus ius petendi eleemosinam locare; propterea, vt in illis quærendis omnis auaritiæ quæstus eliminetur, sub Excommunicationis pæna mandamus, ne collectores eleemosinem vllo pacto audeāt ipsas etiam pro Ecclesijs, vel locis pijs absque Nostræ Curæ Archiepiscopalis licentia colligere; in cuius expeditione clausulam *dummodo eleemosinarum conductores non sint*, ad determinatum tempus apponi mandamus.

## *De Blasphemia.*

## Caput Vigesimum.

1 SAcris Canonibus innixi mandamus, vt quicunque Deo publicè maledixerit, Cōtumelijs, aut obscænis verbis Dominum Nostrū Iesum Christū, vel Beatissimam Virginem expresse blasphemauerit, si Clericus sit, primum fructibus Ecclesiasticorum beneficiorum vnius anni mulctetur; si iterum in eo peccauerit, eo beneficio, quod habet priuetur; si tertio blasphemauerit omnibus dignitatibus, & beneficiis priuetur, & ad alia obtinenda inhabilis declaretur; si autem beneficium non obtinuerit, pæna pecuniaria, vel corporali pro prima vice punietur; pro secunda carceribus mancipetur; pro tertia ad Triremes mittetur.

2 Contra blasphemantes Sanctos pro modo culpæ arbitrio Nostro reseruamus pænas.

3 Si laicus fuerit primo, & secundò pæna pecuniaria mulctetur; Tertio verò grauem pænitentiam publicè aget eo modo quo á Sacris Canonibus est definitum.

4 Qui blaſphemantem audierit, ſi poteſt ſine periculo, aſperius abiurget.

5 Quando vero Blaſphemiæ aliquod hæreticæ prauitatis admixtum habuerint, infra triduum ad Tribunal Noſtrum, & in Diæceſi ad Vicarios Foraneos deferat.

## *De Reliquijs, & Veneratione Sanctorum.*

## Caput Vigeſimum Primum.

1 VT Sanctorum Reliquiis, quæ debetur veneratio, & cultus adhibeatur, ſtatuimus, vt cũ populo cauſa pietatis oſtẽduntur, lumina accendantur, ex loculis verò, & receptaculis vbi condita ſunt, non extrahantur, nec temere oculis omnium, ne vẽ quæſtus gratia exponantur.

2 Sanctorum reliquiæ, antequam à nobis approbatæ fuerint, non ex ponantur. Reliquiæ non in Monaſterijs Monialium, ſed in exterioribus Eccleſijs aſſeruentur, & propterea de locis decentioribus prouideatur tribus clauibus adhibitis, quarum vna penes nos, vel penes deputandum à Nobis, alia penes Abbatiſſam, tertia quoque penes Confeſſarium conſeruetur.

3 Antiquæ reliquiæ habeantur in ea veneratione, qua hactenus ſunt habitæ.

4 Ad Ægrotos non portentur; neque radantur oſſa, vt raſura detur potanda infirmis.

5 Sextaquoque feria in ſingulis hebdomadis paulo ante horam nonam in vnaquaq; Eccleſia Maiori Signũ Campanæ detur, quo fideles admoniti eadem hora Ieſu Chriſti Domini paſſionem, & mortem omni interna mentis pietate recolant, terque orationem Dominicam,

& ſalu-

& salutationem Angelicam deuotè pronuuciantes, quadraginta dierum indulgentiam, quam concedimus, consequantur.

6 In Sanctorum Imaginibus pingendis, vel effigiandis omnis prorsus lasciuia, & vanitas euitetur; Sic quoq; curandum est, vt quæ pingi, vel formari debebunt, dignitati, & decoro eorum sanctorum, quos repræsentabunt, conueniant; Quarè si quæ ita pictæ, aut sculptæ extiterint, deleantur, aut comburantur, & ne impostcrum id contingat prohibemus, ne in templis siuè secularium, siue regularium, aliisq; pijs locis pingantur Sanctorum Imagines, aut erigantur statuæ ex quauis materia, nisi a nobis, aut a Nostro Vicario Generali visæ, & approbatæ fuerint, qui secus fecerit, grauiter mulctetur.

7 In Imaginibus Sanctorum effigies hominum viuentium, vel mortuorum minimè pingantur, neque effigies Iumentorum, quæ ad Sacram historiam non attinent, & depictæ omninò tollantur.

*Quæ ad bona & Iura Ecclesiarum piorumq; locorum conseruationem, & rectam administrationem pertinent.*

## Caput Vigesimum Secundum.



QVI deinceps Ecclesiastici beneficij possessionem adipiscetur, illius titulum, redditus, & onera ad mensem Nobis ostendat, quod si secus fecerit, dimidia parte fructuum, & prouentuum vnius anni mulctetur, & omnibus Iuris remedijs, titulum exhibere cogatur.

2 Antiquam Nostræ Metropolitanæ Ecclesiæ consuetudinem a Sacra Congregatione approbatam, vt bona stabi-

ſtabilia interipſos Canonicos ad eorum vitam ad extinctum Candelæ plus offerenti locentur præcipimus; iniungimus tamen, vt infuturum de locatione prædicta Conductores Canonici publicas conficiant cautelas cũ fideiuſſoribus, in quibus ſe obligent de ſoluendo ipſi Capitulo id pluris, quod excedit ſingulis annis ſui Canonicatus ratam partem, ſeruata forma Conculuſionum Capitularium, de nõfraudandis bonis prædictis debitis culturis; teneaturque Capitulum ſingulis annis per ſuos Æſtimatores bona prædicta recognoſcere, an fuerint in aliqua parte læſa, & eo caſu Conductor iuris remediis cogatur ad damni, & intereſſe refectionem.

3 Si bona Eccleſiaſtica nulla legitima ſedis Apoſtolicæ Auctoritate, aut Noſtra in caſibus à Iure permiſſis quoquo modo reperiuntur alienata, vel permutata, Præcipimus tum iis, qui alienauerunt, contra eum, qui illa retinet agere, vt ea reſtituat; tum detinentibus, vt ipſa vna reddant cum fructibus non iure perceptis.

4 Quicunque huic iuri non obtemperauerint, anathemati ſubiectos eſſe certò ſciant, à qua abſolui non poſſint niſi facta reſtitutiome, & per alienantes omnis diligentia fuerit ad hibita.

5 Si bonorum Eccleſiaſticorum alienationem in euidentem Eccleſiæ vtilitatem fieri contingerit poſſeſſio nullatenus transferatur etiam cum clauſulis (non, aliter, nec aliter, nec alio modo) niſi prius à Superioribus obtẽta licentia, & conceſſione

6 Qui in alienatione bonorum Eccleſiæ fraude, vel dolo ſcienter in damnum Eccleſiæ à delegato decretum extorſerint, excomunicationem Papæ Pii II. reſeruatam incurrere, & ad reſtitutionem teneri certo ſciant,

7 Vt bonorum Eccleſiaſticorum, quæ vel in Enphyteuſim tradita, vel ad longum tempus quo vis nomine

data

data sint, memoria quoad fieri potest conseruetur. Quiuis Ecclesiasticus, cui aliquid in singulos annos eo nomine soluitur, cum primũ id exiget, Notarium adhibeat, à quo publico Instrumẽto testatum fiat, quidquid ab eo, qui soluere debet, ille acceperit, & cuius fundi, Vineæ, Prati, Ædium; & aliarũ rerũ Ecclesiasticarum nomine exegerit, diligenti bonorum præscriptione adhibita, quæ autem huius rei causa, vel cõfessiones, vel recognitiones instrumento conficiuntur, earum exemplum Clericus, ad quem spectat, spatio mẽsis ad Nostram Curiam transmittat in Archiuio conseruandam.

8 Venditores, Emptoresque bonorum, & Iurium, quæ Ecclesiis, Monasteriis Capellis, Confraternitatibus, vel locis piis in onerè annui Census, vel alterius cuiusuis emolumenti soluendi, si certo hoc scientes in huiusmodi alienationibus prædicta onera tacuerint, vel tantum in genere expresserint non specificando Ecclesiam, vel locum, cui prædicta debentur in casum Nobis reseruatum decernimus subiacere, à quo nisi facta prius expressione absolui prohibemus, idque extendimus ad Notarios, & alios, qui malitiosè in hoc Consilium dederint.

9 Piorum locorum bona non locentur administratorum arbitrio sed publicè locanda proponantur, facta omnibus conducendi potestate;

10 Detinentes scripturas qumodolibet ad Ecclesias, beneficia, Monasteria, Confraternitates, & loca pia pertinentes infra mensem à die publicationis præsentis decreti illas consignare debeant Rectoribus illarum, & Capitibus Ecclesiarum, Monasteriorum, & locorum Piorum sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ, absolutione Nobis reseruata. Præcipimus etiam illis, ad quos scripturæ prædictæ peruenerint, vt iuxta duos

dies

dies à die receptionis illarum in Archiuio Ecclesiarum reponant, & in inuentario describi procurent sub eadem pœna.

## De Horis Canonicis.

## Caput Vigesimum Tertium.

1 Diuina Officia ex ordine Calendarij, & Romanæ Ecclesiæ instituto celebrentur. Archidiaconus Nostræ Cathedralis Ecclesiæ, & in aliis Ecclesiis Nostræ Diœcesis, ii ad quos spectat, Singulis hebdomadibus ædat tabellam in qua singulorũ dierum officii ratio præscribatur.

2 Tempore Diuinorum Officiorum, & Celebrationis Missæ Conuentualis laicis aditum in Choro præcludimus; quod extendimus etiam ad Sacerdotes, & Clericos superpellicei non indutos.

3 Candelæ in Missis, & Diuinis Officiis ea exiguitate non adhibeantur, quæ in tanto ministerio dedeceant, & adstantibus offensionem afferre possint.

4 Seruetur Editum per Nos editum super obseruandis in Choro, & dignitatibus, quorum munus est Chorum regere, omnes obediant, & libenter illorum præcepta suscipiant; qui verò secus fecerint, Nostræ Curię deferantur in Ciuitate, & in Diœcesi Vicario foraneo, vt facti qualitate pensata, pœnis subiiciantur.

5 In recitatione Diuini Officii singuli assistant, qui tenentur, cum nemo debeat esse exemptus, alias punctentur, & punctator aduertat si suum realiter non exequitur, Officium, pœnam periurii incurrere, & restitutioni esse obnoxium, præter alias pœnas a Nobis infligendas,

6 Vt

6 Vt omnis distractio tollatur, dum Diuina celebrantur Officia, in Choro non detineantur Arcæ, neque scamna, in quibus aliquid asseruetur, & Canes omninò eiiciantur.

7 Singulis mēsibus punctator sua manu puncta numeret, & in calce cartellæ describat, illamque sic firmatam Archiuarijs consignet, in Archiuio ad finem anni conseruandam.

8 Non distributionis lucro, sed Dei caritate, Religionisque cultu commoti Diuinis assistere debent Officijs, qui tenentur; vt verè, & ex animo verba illa concinant, *voluntariè sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine; quoniam bonum est.*

9 Qui tempore quo cantantur horæ, vel Missæ in Choro, celebrat in eadem Ecclesia ex deuotione, vel obligatione, distributiones non lucratur, nisi fuerit iussus á superiore, superior tamen ab huiusmodi iussione caueat. Capitulum amissas distributionis remittere, aut donare nō potest, & donatarios suas non facit, & tenetur ad illarum restitutionem.

10 Cum Canonicus hebdomadarius absfuerit, officium facere ad Iuniorem Canonicum spectare declaramus, vel ad eum cui id comiserit, qui tunc choro præstet, & sic obseruandum præcipimus; quod si facere neglexerit, pœna amissionis distributionum illius diei mulctetur.

11 Custodum de Confessione Sancti Sabini Ecclesiæ Nostræ Cathedralis vnus semper personaliter assistat de mane, alias distributiones non lucretur; Vespertinis tamen horis in Choro conueniant. Sacristæ maioris officium est in Ecclesia Nostra in Sacristia assistere, ideo per Ecclesiam non vagetur, alias distributiones illius diei amittat; in Vesperis tamen Choro assistat.

12 Anniuersaria dedicatio Ecclesiæ Cathedralis celebretur, etiam in Diæcesi sub ritu duplici sine octaua ex decretis Sac.Congregat.Rituum die 2.Maii 1619. & die 11. Augusti 1632. habetur.

## *De Vsuris.*

## Caput Vigesimum Quartum.

1 INiquum planè, & maximè odiosum est lucrum ex fœnore, seu vsura, Diuino Iure, & Pontificio interdictum; Ne igitur cum certissima animarum pernicie progrediatur omnino obseruari statuimus Edictum contra vsurarios editum.

2 Si Testator pietatis causa alicui Ecclesiæ certam summam legauerit, vt aliquot Missæ siuè Anniuersaria celebrentur, vel aliud simile fiat, ea adiecta conditione, vt quotannis eidem Ecclesiæ aliquid soluatur, donec sine incommodo hæredum legatum persolui possit, licitè ab illa Ecclesia absque scrupulo vsuræ illa annua præstatio percipi potest, quia illud annuum, quasi in singulos annos legasse censendum est.

## *De Funeribus, & Exequijs.*

## Caput Vigesimum Quintum.

1 COnuenit, vt quem viuentem Archiepiscopum Vniuersus Clerus honori debito est prosequutus, eidem mortuo extrema præstet caritatis officia; Defuncto Archiepiscopo tam in ipsa Metropo-

politana, quã in alijs Ecclesijs, Diæcesis, iuxta Cerimoniale Episcoporum sollemnes Exequiæ celebrentur; Id etiam in proximo defuncti Archiepiscopi Anniuersario die singulis annis fiat post commemorationem omnium fidelium defunctorum die immediatè sequenti in omnibus Ecclesijs Collegiatis, & Parochialibus pro animabus omnium Archiepiscoporum dignitatum, Canonicorum, Presbiterorum qui eisdem dum viuerent inseruierunt, fiant solemnes Exequiæ. In omnibus autem supradictis casibus omnes Sacerdotes publicasExequias priuato sacrificio comitari in Domino hortamur.

2 Abusum circumferendi Cadauera per Vrbem, & oppida omnino tollimus, sed recta, & viciniori via ad sepulcrum duci mandamus, pænis arbitrio Nostro infligendis.

## *De Monialibus.*

## Caput Vigesimum Sestum.

1 
Ntra Clausuram Monasterii non admittantur pueri, siuè puellæ cuiuscunque minimæ ætatis sub pæna censurarum violatæ clausuræ.

2 Nulla mulier cuiuscunque ætatis, status, & conditionis sub pæna Excõmunicationis ipso facto incurrenda Clausuram Monasteriorum monialium, siuè Conseruatoriorum Ciuitatis, & Diæcesis voluntate, & destinatione ibi habitum regularem suscipiẽdi ingrediatur absque licentia in scriptis à Nostro Tribunali obtenta, Moniales verò etiam Nouitiæ Conuersæ siuè famulæ, quæ Consilium, auxilium, vel fauorem dederint pænæ priuationis vocis actiuæ, & passiuæ per di-

decemnium,& respectu Abbadissæ priuationis ipso facto Abbatissatus subiiciantur; Nouitiæ verò, conuersæ siuè famulæ pænæ carceris per annum, & eiectionis à Monasterio.

3 Nulla de causa quispiā in Monasterio Monialiū, siuè illorum Ecclesiis, & Sacristiæ pernoctet sub pæna Excommunicationis latæ sententiæ Nobis absolutione reseruata.

4 Confessarii, Procuratores, & Cappellani Monialium singulis trienniis mutari decernimus; Propterea illis præcipimus, vt per mensem antequam labatur Triennium Nos certiores reddant, vt indemnitati Santimonialium Consulamus.

5 In quibus Monasteriis sūt plures sorores germanæ, si earū vna Monasterio præficitur, reliquæ sorores, nullo officio fungi possint sororis durante gubernatione.

6 Electæ ad officia eorum munera sine recusatione exequantur.

7 Monialibus, & Ecclesiis earum prohibemus Cātum figuratum, concedimus tamen firmum, & tollantur instrumenta musica.

8 Confessarii Regulares ad audiendas Monialium Confessiones Ordinarii, siuè Extraordinarii deputati, eorumque socii easdem Moniales, Nouitias, aut Conuersas, siuè famulas absque Sacræ Congregationis licētia; vel Nostra in casibus permissis alloqui non possint sub pænis à Sacris Constitutionibus Apostolicis Statutis, Nec Regulares ad alloquendum cum Monialibus etiam exemptis accedant non seruatis omnibus, quæ in Decretis Sacræ Congregationis sunt apposita.

9 Ianitrices, Comitatrices, Assistentes, & quæ Sacristiæ curam habent, minores annis quadraginta, non eligantur.

10 Con-

10 Confessarii non audiant Confessiones illius infirmæ, quæ ad sedem Confessionalem accedere potest, audita verò intra clausurã Cõfessione Monialis infirmæ, statim eadem via non diuagando ad aliam partem Monasterij, etiam occasione visitandi alias infirmas, exeat, sub pæna Excommunicationis latæ sententiæ, absolutione Nobis reseruata, quam extendimus etiam ad Medicos, & Chirurgos.

11 Medicis, Chirurgis, & Operariis licentiam concedi solitam singulis quibuscunque trimestribus renouandam esse Volumus; qui verò sine supradictæ licentiæ renouatione clausuram ingredi ausus fuerit, Cẽsuras cõtra violantes clausuram incurrere sciat, quam licentiam à Nobis dandam esse declaramus, etiam in Monasteriis exemptis, & Regularibus subiectis.

12 Nemo sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, absolutione Nobis reseruata, etiam si exẽptus quomodolibet fuerit, adeat ad colloquandum parlatoria, portas clausuræ, loca Confessionis, & Communionis monialium, quod extendimus pariter ad Monasteria quouis modo exẽpta, quod si alicui cõcedatur facultas alloquendi moniales nũquam intelligatur cõcessa in porta clausuræ.

13 Nulla vnquam in Monialem recipiatur, nisi prius parentes, fratres, vel ij ad quos cura spectat promptã vniuersã habuerint pecuniã pro dote, & eleemosina, cõsueta. Pecunia ipsa penes tutum tertium non affinem, neque consanguineum Monialium deponatur, & post professionem statim in bonis stabilibus, seú Censibus implicetur, durante tamen tempore Nouitiatus alimenta præbeantur à consanguineis iuxta consuetudinem Monasterij, quod si Nouitia discesserit, aut decesserit non facta professione, restituantur omnia, quæ secum attule-

ualerint, deductis alimentis, si non fuerint integrè soluta, habitus tamen Religionis non est restituendus, sed illius pretium, quæ habitum Regularem suscipere voluerit, maior sit annorum duodecim, neque illum accipere valeat antequam à Nobis, vel Nostro Delegato fuerit illius explorata voluntas, etiam si Monasteria exempta, & Regularibus subiecta ingrediatur.

14 In admittendis Nouitijs ad habitum Regularem capiatur informatio per Nostram Curiam, aut personam per Nos delegandam, quod puella sit, non corpore viciata, nunquam fuerit, nec sit ab immundis spiritibus obsessa, nullo habituali morbo laboret, & optima valetudine fruatur, ad quod formandum producatur attestatio iurata Medici, qui saltem per annum corporis eiusdem Constitutionem, & temperamẽtum notum habeat. Fiat autem acceptatio ingressuræ per Capitulum votis tamen secretis.

15 In omnibus Monasterijs fiat locus, & Dormitorium Nouitiarum seorsum ab alijs, fiat etiam Infirmaria, prout in Nostra Visitatione statutum est; Nouitia, quæ legere nescierit, non admittatur ad Chorum, neq; ad Professionem.

16 Confessarii omnes Ordinarii, & Extraordinarii deputandi in Monasteriis etiam exemptis, & Regularibus subiectis erunt á Nobis per examen approbandi, alias amouebuntur.

17 Nulli liceat alloqui Moniales Nouitias, Conuersas, vel famulas, etiam in Monasteriis exemptis, & Regularibus subiectis sub pæna Excommunicationis latæ sententiæ, absolutione Nobis reseruata; quam volumus extendi ad mittentes litteras amatorias, & de rebus obscænis, & etiã nuntia oretenus de rebus impudicis, & ad prædictorum turpium mediatores, Nuntios, & ad litteratera-

terarū prædictarum delatores, cuiuſcunque ſtatus, & ſexus exiſtant.

18 Recreationis tempore, & præcipuè Baccanalium Moniales, Nouitiæ Conuerſæ, ſiuè famulæ non incedant laruatæ, non mimos exerceant, neque actus ſcænicos, non deferant veſtes viriles, aut ſeculares, vel arma, ſub pæna carceris per annum, etiam reſpectu Monaſteriorum exemptorum, & Regularibus ſubiectorum.

19 Procuratores Monialium ſingulis annis reddant computum coram Nobis, ſiuè Rationalibus per Nos eligendis, & in Monaſterijs exemptis adhibebimus etiam deputatum Regularem.

20 Nulla Monialis dona, munera, pecuniam, aut aliud quidpiam etiam caritatis, pietatis, vel eleemoſinæ nomine, ſiuè intuitu cuicunque perſonæ tribuat; ſed, ſi ex aliqua iuſta, & rationabili cauſa aliquid dandum, vel tribuendum viſum fuerit; id à Superioriſſa Monaſterij, & ex rè communi fiat; præſertim caueatur nequa Monialis quidquam ex bonis Monaſterij det, aut donet, nec ex eis quidem, quæ in vſum ſuum aſſignantur niſi de licentia Abbatiſſæ.

21 Cibos non coquant, aut parent, aut quæuis alia eſculenta cōficiant, vt illa vendant, vel largiantur, niſi de licentia Abbatiſſæ de rebus modicæ impenſæ, & in conſanguineos tantum; obſeruentur etiam decreta per Nos in Sancta Viſitatione lata.

22 Moniales Officiales Monaſterij in ſuis muneribus nihil, niſi de rè, & pecunia Monaſterii expendant, & pro Eccleſiis, vel Oratoriis ornandis nihil commodati accipiant, ſed proprio ſint ornatu contentæ, quem nec aliis commodent.

23 Moniales, & Nouitiæ, pariter, & famulæ dormiant

miant quælibet scilicet in lecto suo;

24 A Clausura eiiciantur omnes Catelli.

25 Nulla Monialis cum aliquo Aduocato, Procuratore, Solicitatore, Exactore, alioque negotiorum gestore quodcunque negotium causam, vel litem pertractet, nisi cum solis iis, qui pro communibus negotiis, causis, & litibus Monasterii deputati sunt, & de licentia Abbatissæ,

26 Nemo cuiuscunq; sexus dū Sacrū Missæ per agitur Moniales, Nouitias, vel Ancillas alloquatur in Parlatoriis, & locis intus Ecclesiam existentibus, & licētiā alicui concessam de illis alloquendis nolumus compræhendere casum prædictum.

27 Numerus Monialium in singulis Monasteriis certus sit, qui ex redditibus propriis Monasteriis, ac Monialium laboreris sustentari valeat; propterea habita consideratione reddituum cuiuscunque Ciuitatis, & Diæcesis Monasteriorum certum numerum suis loco, & tempore præfigemus, vltra quem absque nostra, & Sedis Apostolicæ speciali licentia sub pæna Excommunicationis puellas recipi prohibemus.

*De Seminario.*

## Caput Vigesimum Septimum.

1 NOn admittatur in Seminario quisquis sit, sine Nostra licentia in scriptis; si puberes sint, afferant fidem Curiæ Laicalis non esse inquisitos, delinquentes, vel contumaces, nisi sint Clerrci. Secum etiam afferant iudicium Medici non esse aliquo habituali morbo obnoxios,

2 Cum

2 Cum præcipua Sacri Concilij Tridentini super institutione Seminarii fuerit sententia deligendi alumnos maturo ingenio, & docili indole, Qui suo tempore ad Sacerdotium ritè promoueri possint, propterea nè conditio sit elusoria, & alumni ipsi post egressum à Seminario cum peruenerint ad ætatem legitimam recipiēdi Sacros Ordines, aliquam excusationem prætexant non habere sufficientem titulum, ad quem promoueantur; id circo alumni recipiendi inter alia requisita constare faciant se in tempore legitimæ ætatis habere sufficiētem titulum patrimonii, & de ipsius veritate, documenta necessaria exibeant.

3 Existentes in Seminario quotidie sacrificio Missæ intersint; festis verò de præcepto ad Nostram Cathedralem sicut etiam in Vesperis sollemnibus conueniant.

4 Deputati Rectores, & alii, qui Seminarii curam habent, inuiolabiliter leges á Nobis datas obseruent,

## *De Archiuio.*

## Caput Vigesimum Octauum.

1 A Archiuium si in aliqua Ecclesia Nostræ Diæcesis adhuc non est erectum, omninò infra mensem erigatur in quo scripturæ præcedente Inuentario conseruentur, & Præfecti singulis annis omnium scripturarum in eo conseruatarum conficiant integrum, & fidele inuentarium, cuius copia ad Archiuiū Nostræ Cathedralis transmittere teneantur.

2 Archiuiarij duo præficiantur cum duabus clauibus diuersis, & ad annum mutentur, ita tamen vt alter tantum antiquior sit nouo. In Nostta autem Cathedra-

li ſingulis annis vnus deputatur à Nobis, & deputamus Archipræsbiterum, quem confirmamus vſque ad noſtrũ beneplacitum; alter à Capitulo eligitur.

3 Non liceat ab eo auferri quidquam, nec minus deſcribi ſine conſeſu Capituli; ſi verò exemplũ aliquod concedetur, fiat in loco Archiuii, & coram illius præfectis,

4 Inhærentes Conſtitutioni Sixti V. mandamus, & ſtrictè præcipimus omnibus Capitulis, Eccleſiis, Monaſteriis, Collegiis, Confraternitatibus, Beneficiatis, etiam de Iure Patronatus, vt infra annum omnino conficere debeant Inuentarium omnium, & quorumcunque bonorum immobilium, Cenſuum Canonum, Liuellorum, prouentuum annuorum, Iurium, Iuriſdictionum, ac Priuilegiorum, & ſcripturarum ad ipſos, & ad vnumquemque eorum ſpectantium pro Eccleſiarum, & locorum prædictorum indemnitate, ſi negligentes fuerint, grauiter contra eos procedemus.

## *De Vicarijs Foraneis.*

## Caput VigeſimumNonum.

1 Vicarii Foranei de Vita, & Moribus Clericorum, & Sacerdotum, & qualiter ſe gerant in eorum Officio quærant diligenter ad Noſtrum Tribunal delaturi, & num in Eccleſiis debitus cultus adhibeatur; Ordinationes in Viſitatione factas reipſa an viſitati præſtiterint, an Parochi habeant libros, quos habere debent, & denique num totus Clerus viuat, vt decet,

2 Cauſæ Ciuiles ſummam ducatorum trium excedentes

dentes nullo modo cognoſcãt;habilitationes á iuramentis non concedant ſub pæna nullitatis actorum, & alia Nobis reſeruata. In caſibus tamen in Synodalibus Conſtitutionibus recolendæ memoriæ Prædeceſſoris Noſtri Domini Archiepiſcopi Ieſualdi ſibi permiſſi ſub titulo de obſeruãdis in Noſtro Tribunali §. Vicarii Foraneï, oretenus, & ſine ſcriptis procedant.

3 Si obligationes pænes eorum acta receperint, illas incuſare, & litteras executoriales extrahere nullo modo concedimus, ſed partibus petentibus illas ad Noſtrum Tribunal tranſmittant, á quo & executoriales relaxabuntur, & alia fient prout Iuris; obligationes autem infra Carolenos triginta liberum ſit eiſdẽ Vicariis exequi oretenus tamen, ſine aliqua mercedis, ſeú ſalarii ſolutione, pro ſumma tamen prædicta realiter tantum, non perſonaliter exequantur, niſi aliter nobis, vel Noſtro Generali Vicario viſum fuerit.

4 Quia contingit aliquoties grauia committi delicta ab incertis, & longa poſt tempora á perſonis Eccleſiaſticis commiſſa reperiuntur, & tunc ob facti antiquitatem non plenè probari poteſt de corpore delicti, & delinquentes condigne puniri non poſſunt, (ad hoc euitandum præcipimus, vt cum delicta talia clandeſtina committuntur, & auctores ignorantur ipſi Vicarii informationes de illo delicto in genere capiant ad Noſtrum Tribunal traſmittendas, vt ſi tractu temporis ab Eccleſiaſticis patratum fuiſſe innotuerit, poſſint facilius proceſſos impinguari.

5 Si interdum ſibi non expediens aut difficile viſum fuerit huiuſmodi informationes capere, ad Nos de tota re fiat relatio, vt opportunè prouideamus.

6 Porrò ſi ipſi Vicarii, ſiué eorum Actuarii etiam aſſumpti informationes quaſcunque in toto, vel in parte

immutauerint, vel mutilauerint, aut testium dicta aliter quam ab illis deposita fuere, describserint, vel processus occupauerint, occultauerint, lacerauerint, vel infregerint, siuè a partibus requisiti informationes non cæperint, grauiter à Nobis punientur, & in foro pænam falsi incurrisse statuimus.

7 Negligentes vltra dies octo informationes Criminales à se captas ad Nostram Curiam transmittere, & differentes informationes capere vltra triduum de delictis, & causis criminalibus ad Nostram Curiam spectantibus tam contra Ecclesiasticos, quam contra laicos ex mero officio, vel ad partis instantiam pænam suspensionis ab eorum munere incurrant.

8 Inuigilent potissimè super festorum obseruantia iuxta tradita in titulo de dierum festorum cultu.

9 Immemorabilem consuetudinem in hac Nostra Diæcesi seruatam faciendi testamenta ad pias causas, & animarum fauore tantum decedentibus ab intestato non interrumpi sinant, sed si casus mortis ab intestato euenerit, Nostrum Tribunal certiores reddant, vt paterna caritate illi consulatur.

## *De Capitulo Congregando.*

## Caput Trigesimum,

1 IN Congregandis Capitulis per diem ante cartella affigatur cum expressione generali tractandorum in Capitulo, & fiat a Cãcellario, vt est in vsu in Cathedrali, & in Diæcesi de consensu Archipræsbyterorum, siuè Parochorum; omnes autem post sonum Campanulæ pulsari solitæ in principio Capituli con-

conueniant ſub Pæna Carolenorum decem, quam eædẽ dignitates gradatim vt ſupra exequantur Sacriſtiæ Eccleſiæ applicandam; creſcente verò contumacia Nobis deferant, vt augeri poſſit pæna.

*De his quæ generatim ad Synodales Conſtitutiones ſpectant.*

## Caput Trigeſimum Primum.

1 SI quid difficultatis circa ea, quæ his Synodalibus Decretis ſtatuta ſunt, obortum fuerit, interpr{\ae}tationem, & explicationem Nobis; & pro tempore exiſtenti Archiepiſcopo Barenſi reſeruamus, ſalua ſemper Apoſtolicæ Sedis Authoritate, cuius corećtioni, & iudicio omnia, & ſingula in iis Statuta, Decreta, & acta, qua decet reuerentia, & obedientia emendanda, & corrigenda ſubiicimus.

2 Prædeceſſorum Noſtrorum Decii Caracioli, & Aſcanii Ieſualdi ſapientiſſimorum, & prudentiſſimorum Antiſtitum Decreta in eorum pluries repetita Diæceſana Synodo Conſtitutioneſque veneramur, Præcipimus, & approbamus, & obſeruari mandamus, dumodo Sacro Sancti Concilii Tridentini Decretis, & in hac Noſtra Synodo cõtentis contraria nõ ſint, aut reuocata, vel mutata.

3 Volumus autem has Conſtitutiones á die impreſſionis poſt menſem ita omnes arctare, & ad parendum obligare, ac ſi eſſent ſingulis perſonaliter intimatæ.

Domini, Placent ne vobis, quæ in hac Synodo Legi, & Publicari audiſtis?

*Reſponderunt* Placent.

Lecta

LEcta, promulgata, & publicata fuerunt hæc omnia Decreta, & Synodales Constitutiones de mandato Illustrissimi Domini Archiepiscopi per mè D. Nicolaum Donatum Gallittum Bariensem Canonicum Cathedralis Ecclesiæ Notarium, & Cancellarium ad hæc assumptum, &c. Die 18. Augusti 1658.

*Ita est.*
*Canonic. D. Donatus Gallittus Actu. Synodalis.*

## OFFICIALES SYNODALES.

### Consultores Synodales.

*D. Ioannes Franciscus de Episcopo Archidiaconus. V. I. D.*
*D. Angelus Antonius de Pyrris Canonicus & Theol. V. I. D.*
*D. Ioannes Franciscus de Carlo Canonic & Panitent. V. I. D.*
*D. Antonius Bernal Archipresf. Ioniæ V. I. D.*
*D. Ioannes Baptista Maurellus Archipresf. Aquæuiuæ V. I. D.*
*D. Ioannes Massellus de Mola. V. I. D.*

### Iudices Synodales.

*D. Ioannes Franciscus de Episcopo Archidiaconus. V. I. D.*
*D. Iacobus Carissimus Archipresbiter.*
*D. Martinus de Corde Cantor.*
*D. Nicolaus Franciscus Carara Cantor.*
*D. Ioannes Baptista Trauersa Canonicus.*
*D. Marinus Candidus Canonicus.*
*D. Franciscus Bragamonte Canonicus.*
*D. Marcus Antonius Figlionus Archipresf. Casamasima.*
*D. Franciscus Antonius Felice Archipresf. Medunei.*
*D. Tiberius Speratndeo Archipresf. Bitritti.*
*D. Donatus Falconettus Archipresf. Cassani.*

Esami-

## Esaminatores Sinodales.

D. Ioannes de Rubeis Vicarius Generalis
D. Ioannes Franciscus de Episcopo Archidiaconus.
D. Iacobus Carissimus Archipresbiter.
D. Martinus de Corde Cantor.
D. Nicolaus Franciscus Carara Cantor.
D. Antonius Maria Seluaggius Canon. & magister Cerem.
D. Franciscus de Carlo Canon & Panitentiarius.
D. Antonius Bernel Archipresbiter Ioiæ
D. Donatus Falconettus Archipresbiter Cassani.
D. Ioanes Baptista Maurellus Archip. Aquauiua.
D Angelus Antonius Zuccarinus Archip. Molæ.
D. Antonius Molignanus Primicerius Aquauiua.
P. M. Bernardus Maria Iannouttius Ord. Præd. Theol.
P. M. Petrus del Frate Carmel. Theol.
P. M. Ioannes Dominicus Calcfati Ord. Min. Conu. Theol.
P. Ignatius Zaccaria Rector Collegij Soc. Iesu Theol.
P. F. Arcangelus à Ferandino Prior Frat. Præd Theol.
P. Fabius Impaleus Soc Iesu Lect. Casuum Conscien. Tohel.
P. M. Andreas à Sacto Mauro Ord. Min. Conu. Theol.

## Testes Synodales in Ciuitate.

D. Ioseph Antonius Saluatinus Canon.
D. Franciscus Piciols Canon.
D. Franciscus Pennone
D. Nicolaus Antonius Baldes.

Testes

In Terra Bitritti.

D. *Hiacyntus Gentilis Canonic.*
D. *Lutius Bellinus.*

In Terra Castani.

D. *Franciscus Santullus.*
D. *Angelus Maraffinus.*

In Terra Noiæ.

D. *Vitus Antonius Cappellus Canonic.*
D. *Leonardus de Rugerio Canonic.*

In Terra Iouiæ.

D. *Ioannes Florentinus.*
D. *Michael Elmus.*

In Terra Medunei.

D. *Franciscus Assottiglia.*
D. *Ioannes Petrus Maranta.*

In Terra Molæ.

D. *Ioannus Masellus V.I.D. Proth. Apost.*
D. *Ioannes Caputus*

In Terra Aquæuiuæ.

D. *Franciscus Petrinus.*
D. *Vitus Ingellis.*

In terra Capursij

D. *Eugenius Odoardus.*
D. *Paulus Rota*

In Terra Casamassima.

D. *Nicolaus Nonna*
D. *Ioannes de Thomasio.*

In Terra Triuiani.

D. *Nicolaus Balthasarrus.*
D. *Nicolaus Colocius.*

In

In Terra Valenzani.

*D. Francifcus de Sanctis.*
*D. Bartholomeus Ragnolus.*

In Terra Sancti Nicandri.

*D. Donatus Antonius Gracus Primicerius.*
*D. Nicolaus de Mita.*

In Terra Grumi.

*D. Donatus Chriſtina Cantor.*
*D. Vitus Nuntius Ferrullus.*

In Terra Pali.

*D. Petrus Germinus Primocrius.*
*D. Petrus Angelus Mancinus.*

In Terra Sancti Eraſmi.

*D. Franciſcus Belpratus. Cantor.*
D. *Leonardus Antonius Fullonus.*

In Terra Celamarij.

*D. Pacificus de Pacifico Primicerius.*
*D. Nicolaus Franciſcus Greco.*

In Terra Cyliarum.

*D. Nicolaus Maria Barone. Primicerius,*
*D. Iacobus Aatonius de Rubeis.*

In Terra Binetti.

*D. Ioſeph de Luca.*
*D. Vitus Carolus Ceſaria.*

In Terra Canneti.

*D. Angelus Rampina.*
*D. Ioſeph Caſarchius.*

In Terra Monteroni.

*D. Donatus de Coſula.*
*D. Dominicus Morettus.*

In Terra Turicti.

*D. Franciſcus de Magiſtro Andrea,*
*D. Ioſeph Roſatus.*

In Terra Carbonarij.

*D. Leonardus Nouellus Primocerius.*

*D. Rosatus Cettura.*

In Terra Losceti.

*D. Donatus de Ambrosis.*

*D. Vitus Iacobbelli.*

In Oppido Sancti Michaelis.

*D. Vitus Antonius Martellottus.*

*Feste che si osseruano nella Curia Arciuescouale.*

GENNARO.

1 Dalla Circoncisione del Signore sino alli 6. del mese l'Epifania.
17 S. Antonio Abbate.
20 Li SS. Fabiano, e Sebastiano mart.
25 La Conuersione di S. Paolo Apost.

FEBRARO.

2 La Purificatione della B. V.
3 S. Biagio Vesc. e mart.
5 S. Agata Verg. e mart.
9 S. Apollonia verg. e mart.
22 La Catehdra di S. Pietro Apost.
24 S. Mattia Apost.

MARZO.

Nel Primo Martedì S. Maria di Costantinopoli.
7 S. Thomaso d'Aquino.
12 S. Gregorio Papa.
19 S. Giuseppe sposo della B. V.
20 S. Gioachimo Padre della B. V.
21 S. Benedetto Abb.
25 L'Annunciatione della B. V.

APRI-

APRILE.

2 S. Frncelco di Paola conf.
11 S. Leone Papa.
25 S. Marco Euangelista.
29 S. Pietro Martire.

MAGGIO.

1 SS. Filippo, è Giacomo Apost.
3 L'Inuentione della S. Croce.
8 L'Apparitione di S. Mighele Arcangelo.
9 La Translatione di S. Nicolò Vesc.
18 S. Maria della Vita.

GIVGNO.

11 S. Barnaba Apost.
13 S. Antonio da Padua.
15 Li SS. Vito, Modesto, e Crescentio m.
24 La Natiuità di S. Gio: Battista.
29 Li SS. Pietro, e Paolo Apostoli.

LVGLIO.

2 La Visitatione della B.V.
16 S. Maria del Carmine.
22 S. Maria Madalena.
25 S. Giacomo Apost.
26 S. Anna Madre della B.V.
30 S. Ignatio Loiola Conf.

AGOSTO.

1 S. Pietro ad Vincula.
2 S. Maria degl'Angioli.
4 S. Domenico conf.
5 S. Maria della Neue.
6 La Trasfiguratione del Signore.
7 S. Donato Vesc. è conf.
10 S. Lorenzo Mart.

12 S. Chiara verg.
15 L'Assuntione della B. V.
16 S. Rocco conf.
25 S. Barthòlomeo Apost.
28 S. Agostino Vesc. è cònf.
29 La Decollatione di S. Gio. Battista.

S E T T E M B R E.

8 La Natiuità della B. V.
10 S. Nicolò Tolentino.
14 L'Esaltatione della S. Croce.
19 Li SS. Gennaro, é Compagni mm.
21 S. Matteo Apost.
29 La Dedicatione di S. Michele Arcang.
30 S. Girolamo conf. è Dott.

O T T O B R E.

4 S. Francesco conf.
15 S. Theresa verg.
18 S. Luca Euang.
28 Li SS. Simone, e Giuda Apost.

N O V E M B R E.

1 La Festa di tutti li Santi.
2 La Commem. di tutti i fedeli defonti.
6 S. Lonardo conf.
11 S. Martino vesc.
12 S. Diego conf.
21 La Presentatione della B. V.
25 S. Catharina verg. e mart.
30 S. Andrea Apost.

D E C E M B R E.

1 S. Eligio Vesc. e conf.
2 S. Francesco Sauerio conf.
6 S. Nicolò Vesc. e conf.
7 S. Ambrosio Vesc. e conf.

8 La Concettione della B.V.
10 L'inuentione di S. Sabino vesc. e conf.
13 S. Lucia verg. e mart.
21 S. Thomaso Apost.

Dalla Vigilia di Natale del Signore per tutta la Santa Epifania che sono giorni quattordici.

Dipiú.

Dalla Domenica vltima di Carneuale sino á tutto il di del primo di Quaresima, che sono quattro giorni.

Della Domenica delle Palme per tutta la settimana Santa sino è tutta l'Ottaua di Pascha di Resurrettione, che sono quindici giorni,

Il dì dell'Ascentione del Signore.

Il di della Pascha di Pentecoste con il Lunedì, è Maredì,

Il dì del Santiss. Corpo di Christo.

*Feste di Precetto dichiarate tali da Papa Vrbano VIII.*

GENNARO.

1 La Circoncisione del Signore.
6 L'Epifania del Signore.

FEBRARO.

2 La Purificatione della B, V.
24 S. Mattia Apost.

MARZO.

19 S. Giuseppe conf. sposo della B.V.
25 L'Annunciatione della B.V.

MAGGIO.

1 Li SS. Filippo, e Giacomo Apost.

3 L'In.

3 L'Inuentione della S. Croce.

GIVGNO.

24 La Natiuitá di S. Gio. Battista.

29 Li SS. Pietro, e Paolo Apost.

LVGLIO.

25 S. Giacomo Apost.

26 S. Anna Madre della B.V.

AGOSTO.

10 S. Lorenzo mart.

15 L'Assuntione della B. V.

25 S. Bartholomeo Apost.

Le Domeniche di tutto l'anno.

Le due feste, che seguitano la Pasca di Ressurettione, e la Pascha di Pentec.

L'Ascentione del Signore, & il Santiss. Corpo di Christo.

SETTEMBRE.

8 La Natiuità della B.V.

21 S. Matteo Apost.

29. La Dedicatione di S. Michele Arcangelo.

OTTOBRE.

28 Li SS. Simone, e Giuda Apost.

NOVEMBRE.

1 Tutti li Santi.

30 S. Andrea Apost.

DECEMBRE.

21 S. Thomaso Apost.

25 La Natiuità del Signore.

26 S. Stefano prot. mart.

27 S. Giouanni Apost.

28 Li SS. Innocenti mart.

31 S. Siluestro Papa.

## *Feste di Precetto di due Padroni del Regno di Napoli.*

19 Di Settembre S. Gennaro mart. fatto da Pa- Gregorio XIV. Doppio per il Regno di Napoli, e da guardarsi per tutto il Regno.

Di Agosto *S.* Domenico conf. fatto da Papa Innocentio X.

## *Feste di Precetto nella Città, e Diocesi di Bari.*

Nel Primo Martedì di Marzo la sollennità della B.V. Maria di Costantinopoli.

Alli *9.* di Febraro *S. S*abino vesc. e conf.

Alli *6.* di Decembre *S.* Nicolò Vesc. e conf.

IL FINE.

li singulis annis vnus deputatur à Nobis, & deputamus Archipræsbiterum, quem confirmamus vsque ad nostrũ beneplacitum; alter à Capitulo eligitur.

3 Non liceat ab eo auferri quidquam, nec minus describi sine consesu Capituli; si verò exemplũ aliquod concedetur, fiat in loco Archiuii, & coram illius præfectis,

4 Inhærentes Constitutioni Sixti V. mandamus, & strictè præcipimus omnibus Capitulis, Ecclesiis, Monasteriis, Collegiis, Confraternitatibus, Beneficiatis, etiam de Iure Patronatus, vt infra annum omnino conficere debeant Inuentarium omnium, & quorumcunque bonorum immobilium, Censuum Canonum, Liuellorum, prouentuum annuorum, Iurium, Iurisdictionum, ac Priuilegiorum, & scripturarum ad ipsos, & ad vnumquemque eorum spectantium pro Ecclesiarum, & locorum prædictorum indemnitate, si negligentes fuerint, grauiter contra eos procedemus.

## *De Vicarijs Foraneis.*

## Caput Vigesimum Nonum.

1 VIcarii Foranei de Vita, & Moribus Clericorum, & Sacerdotum, & qualiter se gerant in eorum Officio quærant diligenter ad Nostrum Tribunal delaturi, & num in Ecclesiis debitus cultus adhibeatur; Ordinationes in Visitatione factas reipsa an visitati præstiterint, an Parochi habeant libros, quos habere debent, & denique num totus Clerus viuat, vt decet,

2 Causæ Ciuiles summam ducatorum trium excedentes

dentes nullo modo cognoſcāt;habilitationes à iuramentis non concedanı ſub pæna nullitatis actorum, & alia Nobis reſeruata. In caſibus tamen in Synodalibus Conſtitutionibus recolendæ memoriæ Prædeceſſoris Noſtri Domini Archiepiſcopi Ieſualdi ſibi permiſſi ſub titulo de obſeruādis in Noſtro Tribunali §. Vicarii Foranei, oretenus, & ſine ſcriptis procedant.

3 Si obligationes pænes eorum acta receperint, illas incuſare, & litteras executoriales extrahere nullo modo concedimus, ſed partibus petentibus illas ad Noſtrum Tribunal tranſmittant, à quo & executoriales relaxabuntur, & alia fient prout Iuris; obligationes autem infra Carolenos triginta liberum ſit eiſdē Vicariis exequi oretenus tamen, ſine aliqua mercedis, ſeú ſalarii ſolutione, pro ſumma tamen prædicta realiter tantum, non perſonaliter exequantur, niſi aliter nobis, vel Noſtro Generali Vicario viſum fuerit.

4 Quia contingit aliquoties grauia committi delicta ab incertis, & longa poſt tempora á perſonis Eccleſiaſticis commiſſa reperiuntur, & tunc ob facti antiquitatem non plenè probari poteſt de corpore delicti, & delinquentes condigne puniri non poſſunt, ſad hoc euitandum præcipimus, vt cum delicta talia clandeſtina committuntur, & auctores ignorantur ipſi Vicarii informationes de illo delicto in genere capiant ad Noſtrum Tribunal traſmittendas, vt ſi tractu temporis ab Eccleſiaſticis patratum fuiſſe innotuerit, poſſint facilius proceſſos impinguari.

5 Si interdum ſibi non expediens aut difficile viſum fuerit huiuſmodi informationes capere, ad Nos de tota rè fiat relatio, vt opportunè prouideamus.

6 Porrò ſi ipſi Vicarii, ſiuè eorum Actuarii etiam aſſumpti informationes quaſcunque in toto, vel in parte

immutauerint, vel mutilauerint, aut testium dicta aliter quam ab illis deposita fuere, descripserint, vel processus occupauerint, occultauerint, lacerauerint, vel infregerint, siuè a partibus requisiti informationes non cæperint, grauiter à Nobis punientur, & in foro pænam falsi incurrisse statuimus.

7 Negligentes vltra dies octo informationes Criminales à se captas ad Nostram Curiam transmittere, & differentes informationes capere vltra triduum de delictis, & causis criminalibus ad Nostram Curiam spectantibus tam contra Ecclesiasticos, quam contra laicos ex mero officio, vel ad partis instantiam pænam suspensionis ab eorum munere incurrant.

8 Inuigilent potissimè super festorum obseruantia iuxta tradita in titulo de dierum festorum cultu.

9 Immemorabilem consuetudinem in hac Nostra Diæcesi seruatam faciendi testamenta ad pias causas, & animarum fauore tantum decedentibus ab intestato non interrumpi sinant, sed si casus mortis ab intestato euenerit, Nostrum Tribunal certiores reddant, vt paterna caritate illi consulatur.

## *De Capitulo Congregando.*

### Caput Trigesimum,

1 IN Congregandis Capitulis per diem ante cartella affigatur cum expressione generali tractandorum in Capitulo, & fiat a Cãcellario, vt est in vsu in Cathedrali, & in Diæcesi de consensu Archipræsbyterorum, siuè Parochorum; omnes autem post sonum Campanulæ pulsari solitæ in principio Capituli con-

conueniant sub Pæna Carolenorum decem, quam eædé dignitates gradatim vt supra exequantur Sacristiæ Ecclesiæ applicandam; crescente verò contumacia Nobis deferant, vt augeri possit pæna.

## *De his quæ generatim ad Synodales Constitutiones spectant.*

## Caput Trigesimum Primum.

1 SI quid difficultatis circa ea, quæ his Synodalibus Decretis statuta sunt, obortum fuerit, interpretationem, & explicationem Nobis; & pro tempore existenti Archiepiscopo Barensi reseruamus, salua semper Apostolicæ Sedis Authoritate, cuius corectioni, & iudicio omnia, & singula in iis Statuta, Decreta, & acta, qua decet reuerentia, & obedientia emendanda, & corrigenda subiicimus.

2 Prædecessorum Nostrorum Decii Caracioli, & Ascanii Iesualdi sapientissimorum, & prudentissimorum Antistitum Decreta in eorum pluries repetita Diœcesana Synodo Constitutionesque veneramur, Præcipimus, & approbamus, & obseruari mandamus, dumodo Sacro Sancti Concilii Tridentini Decretis, & in hac Nostra Synodo cõtentis contraria nõ sint, aut reuocata, vel mutata.

3 Volumus autem has Constitutiones á die impressionis post mensem ita omnes arctare, & ad parendum obligare, ac si essent singulis personaliter intimatæ.

Domini, Placent ne vobis, quæ in hac Synodo Legi, & Publicari audistis?

*Responderunt* Placent.

Lecta

LEcta, promulgata, & publicata fuerunt hæc omnia Decreta, & Synodales Constitutiones de mandato Illustrissimi Domini Archiepiscopi per mè D. Nicolaum Donatum Gallittum Bariensem Canonicum Cathedralis Ecclesiæ Notarium, & Cancellarium ad hæc assumptum, &c. Die 18. Augusti 1658.

*Ita est.*
*Canonic. D. Donatus Gallitus Actu. Synodalis.*

## OFFICIALES SYNODALES.

### Consultores Synodales.

*D. Ioannes Franciscus de Episcopo Archidiaconus. V. I. D.*
*D. Angelus Antonius de Pyrris Canonicus & Theol. V. I. D.*
*D. Ioannes Franciscus de Carlo Canonic & Panitent. V. I. D.*
*D. Antonius Bernal Archipres. Iouiæ V. I. D.*
*D. Ioannes Baptista Maurellus Archipres. Aquæuiuæ V. I. D.*
*D. Ioannes Massellus de Mola. V. I. D.*

### Iudices Synodales.

*D. Ioannes Franciscus de Episcopo Archidiaconus. V. I. D.*
*D. Iacobus Carissimus Archipresbiter.*
*D. Martinus de Corde Cantor.*
*D. Nicolaus Franciscus Carara Cantor.*
*D. Ioannes Baptista Trauersa Canonicus.*
*D. Marinus Candidus Canonicus.*
*D. Franciscus Bragamonte Canonicus.*
*D. Marcus Antonius Viglionus Archipres. Casamasima.*
*D. Franciscus Antonius Felice Archipres. Medunei.*
*D. Tiberius Speraindeo Archipres. Bitritti.*
*D. Donatus Falconettus Archipres. Cassani.*

Esami-

## Esaminatores Sinodales.

*D. Ioannes de Rubeis Vicarius Generalis*
*D. Ioannes Franciscus de Episcopo Archidiaconus.*
*D. Iacobus Carissimus Archipresbiter.*
*D. Martinus de Corde Cantor.*
*D. Nicolaus Franciscus Carara Cantor.*
D. *Antonius Maria Seluaggius Canon. & magister Cerem.*
*D. Franciscus de Carlo Canon & Panitentiarius.*
*D. Antonius Bernel Archipresbiter Iouia*
*D. Donatus Falconettus Archipresbiter Cassani.*
D. *Ioanes Baptista Maurellus Archip. Aquauiua.*
D *Angelus Antonius Zuccarinus Archip. Mola.*
D. *Antonius Molignanus Primicerius Aquauiua.*
*P.M. Bernardus Maria Iannouttius Ord. Prad. Theol.*
*P.M. Petrus del Frate Carmel. Theol.*
*P.M. Ioannes* D*ominicus Calefati Ord. Min. Conu. Theol.*
*P. Ignatius Zaccaria Rector Collegij Soc. Iesu Theol.*
*P. F. Arcangelus à Ferandino Prior Frat. Prad Theol.*
*P. Fabius Impaleus Soc Iesu Lect. Casuum Conscien. Tohel.*
*P.M. Andreas à Sacto Mauro Ord. Min. Conu. Theol.*

## Testes Synodales in Ciuitate.

*D. Ioseph Antonius Saluatinus Canon.*
*D. Franciscus Piciols Canon.*
*D. Franciscus Pennone*
D. *Nicolaus Antonius Baldes.*

In Terra Valenzani.

*D. Franciscus de Sanctis.*

*D. Bartholomeus Ragnolus.*

In Terra Sancti Nicandri.

*D. Donatus Antonius Gracus Primicerius.*

*D. Nicolaus de Mita.*

In Terra Grumi.

*D. Donatus Christina Cantor.*

*D. Vitus Nuntius Ferrullus.*

In Terra Pali.

*D. Petrus Germinus Primocrius.*

*D. Petrus Angelus Mancinus.*

In Terra Sancti Erasmi.

*D. Franciscus Belpratus. Cantor.*

D. *Leonardus Antonius Fullonus.*

In Terra ' elamarij.

*D. Pacificus de Pacifico Primicerius.*

*D. Nicolaus Franciscus Greco.*

In Terra Cyliarum.

*D. Nicolaus Maria Barone. Primicerius,*

*D. Iacobus Aatonius de Rubeis.*

In Terra Binetti.

*D. Ioseph de Luca.*

*D. Vitus Carolus Cesaria.*

In Terra Canneti.

*D. Angelus Rampina.*

*D. Ioseph Cafarchius.*

In Terra Monteroni.

*D. Donatus de Cosula.*

*D. Dominicus Morettus.*

In Terra Turicti.

*D. Franciscus de Magistro Andrea.*

*D. Ioseph Rosatus.*

In Terra Carbonarij.

*D. Leonardus Nouellus Primocerius.*

*D. Rosatus Cettura.*

In Terra Loseti.

*D. Donatus de Ambrosis.*

*D. Vitus Iacobbelli.*

In Oppido Sancti Michaelis.

*D. Vitus Antonius Martellottus.*

## *Feste che si osseruano nella Curia Arciuescouale.*

GENNARO.

1 Dalla Circoncisione del Signore sino alli 6. del mese l'Epifania.

17 S. Antonio Abbate.

20 Li SS. Fabiano, e Sebastiano mart.

25 La Conuersione di S. Paolo Apost.

FEBRARO.

2 La Purificatione della B. V.

3 S. Biagio Vesc. e mart.

5 S. Agata Verg. e mart.

9 S. Apollonia verg. e mart.

22 La Catehdra di S. Pietro Apost.

24 S. Mattia Apost.

MARZO.

Nel Primo Martedì S. Maria di Costantinopoli.

7 S. Thomaso d'Aquino.

12 S. Gregorio Papa.

19 S. Giuseppe sposo della B. V.

20 S. Gioachimo Padre della B. V.

21 S. Benedetto Abb.

25 L'Annunciatione della B. V.

APRI-

APRILE.

2 S. Frncesco di Paola conf.
11 S. Leone Papa.
25 S. Marco Euangelista.
29 S. Pietro Martire.

MAGGIO.

1 SS. Filippo, è Giacomo Apost.
3 L'Inuentione della S. Croce.
8 L'Apparitione di S. Mighele Arcangelo.
9 La Translatione di S. Nicolò Vesc.
18 S. Maria della Vita.

GIVGNO.

11 S. Barnaba Apost.
13 S. Antonio da Padua.
15 Li SS. Vito, Modesto, e Crescentio m.
24 La Natiuità di S. Gio: Battista.
29 Li SS. Pietro, e Paolo Apostoli.

LVGLIO.

2 La Visitatione della B.V.
16 S. Maria del Carmine.
22 S. Maria Madalena.
25 S. Giacomo Apost.
26 S. Anna Madre della B.V.
30 S. Ignatio Loiola Conf.

AGOSTO.

1 S. Pietro ad Vincula.
2 S. Maria degl'Angioli.
4 S. Domenico conf.
5 S. Maria della Neue.
6 La Trasfiguratione del Signore.
7 S. Donato Vesc. è conf.
10 S. Lorenzo Mart.

12 S. Chiara verg.
15 L'Assuntione della B. V.
16 S. Rocco conf.
25 S. Bartholomeo Apost.
28 S. Agostino Vesc. è conf.
29 La Decollatione di S. Gio. Battista.

SETTEMBRE.

8 La Natiuità della B. V.
10 S. Nicolò Tolentino.
14 L'Esaltatione della S. Croce.
19 Li SS. Gennaro, è Compagni mm.
21 S. Matteo Apost.
29 La Dedicatione di S. Michele Arcang.
30 S. Girolamo conf. è Dott.

OTTOBRE.

4 S. Francesco conf.
15 S. Theresa verg.
18 S. Luca Euang.
28 Li SS. Simone, è Giuda Apost.

NOVEMBRE.

1 La Festa di tutti li Santi.
2 La Commem. di tutti i fedeli defonti.
6 S. Lonardo conf.
11 S. Martino vesc.
12 S. Diego conf.
21 La Presentatione della B. V.
25 S. Catharina verg. e mart.
30 S. Andrea Apost.

DECEMBRE.

1 S. Eligio Vesc. e conf.
2 S. Francesco Sauerio conf.
6 S. Nicolò Vesc. e conf.
7 S. Ambrosio Vesc. e conf.

8 La Concettione della B.V.
10 L'inuentione di S. Sabino vesc. e conf.
13 S. Lucia verg. e mart.
21 S. Thomaso Apost.

Dalla Vigilia di Natale del Signore per tutta la Santa Epifania che sono giorni quattordici.

Dipiú.

Dalla Domenica vltima di Carneuale fino á tutto il di del primo di Quaresima, che sono quattro giorni.

Della Domenica delle Palme per tutta la settimana Santa fino è tutta l'Ottaua di Pascha di Resurrettione, che sono quindici giorni,

Il dì dell'Ascentione del Signore.

Il di della Pascha di Pentecoste con il Lunedì, è Maredì,

Il dì del Santiss. Corpo di Christo.

## *Feste di Precetto dichiarate tali da Prpa Vrbano VIII.*

GENNARO.

1 La Circoncisione del Signore.
6 L'Epifania del Signore.

FEBRARO.

2 La Purificatione della B,V.
24 S. Mattia Apost.

MARZO.

19 S. Giuseppe conf. sposo della B.V.
25 L'Annunciatione della B.V.

MAGGIO.

1 Li SS. Filippo, e Giacomo Apost.

3 L'In.

3 L'Inuentione della S. Croce.

GIVGNO.

24 La Natiuitá di S. Gio. Battista.
29 Li SS. Pietro, e Paolo Apost.

LVGLIO.

25 S. Giacomo Apost.
26 S. Anna Madre della B.V.

AGOSTO.

10 S. Lorenzo mart.
15 L'Assuntione della B. V.
25 S. Bartholomeo Apost.

Le Domeniche di tutto l'anno.

Le due feste, che seguitano la Pasca di Ressurettione, e la Pascha di Pentec.

L'Ascentione del Signore, & il Santiss. Corpo di Christo.

SETTEMBRE.

8 La Natiuità della B.V.
21 S. Matteo Apost.
29. La Dedicatione di S. Michele Arcangelo.

OTTOBRE.

28 Li SS. Simone, e Giuda Apost.

NOVEMBRE.

1 Tutti li Santi.
30 S. Andrea Apost.

DECEMBRE.

21 S Thomaso Apost.
25 La Natiuità del Signore.
26 S. Stefano prot. mart.
27 S. Giouanni Apost.
28 Li SS. Innocenti mart.
31 S. Siluestro Papa.

*Feste di Precetto di due Padroni del Regno di Napoli.*

19 Di Settembre S. Gennaro mart. fatto da Pa- Gregorio XIV. Doppio per il Regno di Napoli, e da guardarsi per tutto il Regno.

Di Agosto S. Domenico conf. fatto da Papa Innocentio X.

*Feste di Precetto nella Città, e Diocesi di Bari.*

Nel Primo Martedì di Marzo la sollennità della B.V. Maria di Costantinopoli.

Alli 9. di Febraro S. Sabino vesc. e conf.

Alli 6. di Decembre S. Nicolò Vesc. e conf.

IL FINE.

# *De Casibus Reseruatis in Bariensi Diæcesi ab Illustriss. & Reuerendiss. Archiepiscopo breuis, & dilucida explicatio ad Parochorum, & Confessorum Instructionem.*

DVb. Potest ne Episcopus in sua Diæcesi casus aliquos sibi reseruare? Et ob quem finem?

℞. Potest, & debet; quia ius habet reseruandi sibi casus sepositos ab ijs, quos illi ipsum ius reseruat, & id in ædificationem, non in destructionem. *Cap. si Episc. de Pænit. & remiss. in 6.*

Fines huius reseruationis multi sunt assignati à Trid. c. 7. 1. vt grauiora, & atrociora crimina exactius iudicētur, melius corrigatur, & illis efficacius adhibeatur remediū. 2. vt fideles ab illis committēdis, eo se diligentius contineant, quo difficilius absolutionem illorum obtinere possunt. *Trid. sess. 14. c. 7. & Cano. 11. de Sacr. Pæn.*

D. quot sunt Casus reseruati in Diæcesi Bariensi!

℞. sunt multi distributi in duplici serie; aliqui sunt in prima serie reseruati cum Censura Excommunicationis ipso facto incurrenda; in Secunda serie aliqui sunt reseruati sine censura Excommunicationis.

D. Quot sunt, reseruati cum Censura Excommunicationis?

℞. Qui sunt, enumerantur septem numeris marginalibus,

D. Quot sunt, & qui sunt in I. num. marginali? scilicet.

I. *Abutentes Sacramentis, vel sacris rebus in quoslibet illicitos vsus; nec non dantes, vel recipientes Sanctissimam Eucharistiam, aliaq; sacramentalia seu res sacras ad ma-*

*lum finem, etiam si non sequatur Abusus cum effectu.*

℞. Tres sunt in Primo num. marginali 1. est qui abutitur sacramentis, vel sacris rebus, 2. dans ad malum finem. 3. recipiens ad malum finem Sanctissimam Eucharistiam, sacramentalia, seu res sacras.

D. Quot peccata committuntur, & quot Excommunicationes contrahuntur, in hoc Primo numero marginali?

℞. Tot peccata committuntur, & tot contrahuntur, excommunicationes. Quot sunt actiones ibi prohibitæ. 1. qui dat ob malum finem mortaliter peccat, & ipso facto excommunicatur. 2. qui recipit ob malum finem, peccat mort. & excommunicatur. 3. Qui abutitur, actu peccat mortaliter, & excommunicatur. Vnde si quis daret ob malum finem, & qui recipit, non reciperet ob malum finem, sed vt redderet sacerdoti; dans solum peccaret mortaliter, & esset excommunicatus. Si quis reciperet ob malum finem, & non abuteretur, dans, & recipiens peccarēt mortaliter, & ligarentur censura. Si quis tandem abuteretur; dans ob malum finem vnum faceret peccatum mortale, & excommunicationem incurreret; abutens vero duplici pollueretur peccato, & excommunicatione, & vt recipiens, & vt abutens.

D. Quinam dicitur Abusus, & vsus illicitus?

℞. Abusus est vti Sacramentis, vel Sacramentalibus ad ea, ad quæ non sunt instituta à Christo Domino. Illicitus vsus est vti sacris rebus non ad id ad quod non illis vtitur Ecclesia Catholica. Sic cauēdus abusus, 1. Thuris Cerei benedicti in Sabato Sancto 2. trium candelarum in arundine similiter Sabb. Sanct. 3. candelæ benedictæ in die S. Purificationis 4. Oliuarum, & Palmarum in die Dominicæ Palmarum, Sacramentalium &c. Ideo Confess. Parochi, & Archipresbyteri inuigilent. Præficiant

ciant ſacriſtijs Clericos, ſeu Sacerdotes Dei Sancto Timore præditos, qui diligenter omnia cuſtodiant, nec ſine Archipræsbyteri facultate dent aliquid ſuſpectis mulierculis, militibus, Paſtoribus, Fabris ferrareis, Ruſticis. *Hermannus in medulla lib. 3. tract. 1. cap. 1. de primo, Præcep. Decal. cap de Cuſtod. Euchar. Chriſmatis, & aliorum SS. cap. 1. ſtatuimus Innoc. 3.*

D. Quare in fine Primi Numeri marginalis addũtur illa verba. *etiam ſi non ſequatur abuſus cum effectu?*

℟. Quia nonnulla peccata non intelliguntur reſeruata, nec cenſura puniuntur vſquequo ſint, completa, & perfecta, nam cum reſeruatio, & excommunicatio ſint odioſa, accipi debent verba delicti in omni proprietate. Sed hic quia grauiſſima res eſt, ſine vllo effectu incurritur reſeruatio, & excommunicatio, ſufficit n. attentaſſe malum ſcilicet ob malum finem, & accepiſſe ſimiliter ob malum finem. *Silueſt. v. Caſus q. 5 Graff. p. 1, deciſ. 66: 1. c. 13. n. 71. Heriq. lib. 6. cap. 14. n. 5.*

D. Quot ſunt caſus, & qui ſunt, cum Cenſura reſeruati in 2. numero marginali? ſcilicet.

II. *Sortilegia, Diuinationes, Incantationes, Maleficia, &c. huiuſmodi exercentes, illiſque quoquo modo vtentes.*

℟. Quinque peccata hic reſeruantur, & ſub excõmunicatione prohibentur 1. Sortilegia 2. Diuinationes 3. Incantationes 4. Maleficia 5. &c. huiuſmodi. vanæ ſcilicet obſeruationes cuicunque vel exercenti, vel vtẽti; & ſic in primo notantur, qui faciunt, in ſecundo qui ab alijs factis vtuntur.

D. Explica breuiter quotuplex ſit ſortilegium; & quale licitum, & quale illicitum ſit?

℟. Triplex eſt ſortilegium 1. Diuiſorium 2. Conſultorium 3. Diuinatorium. Sortilegium diuiſorium ple-

rumque sine superstitione licite fieri potest, siue ad honestum ludum, siue ad hereditatis diuisionem, siue ad litis compositionem, modo litigantes, qui æquale ius habent, consentiant. quia nihil aliud continet, quam contractum inter eos, qui ad aliquam rem ius æquale habent, vt illius sit, cui sors obtigerit. *Less. lib. 2. c. 43. dub. 7.*

In electionibus verò Ecclesiasticis est illicitum; & officia secularia secundum aptitudinem personarum sunt diuidenda, non sorte, sed si plures sint æque apti, & digni, sorte agi posset.

Sortilegiũ Cõsultoriũ aliquãdo licitũ est, scilicet quãdo exigit necessitas, & honestas causæ; & aptior modus dubiũ vincendi nõ apparet, modo fiat præmissa oratione cum debita reuerentia, & iudiciũ expectetur à solo Deo; alias est illicitum. *Bonac. disp. 3 q. 5. punt. 3. n.* 11.

Sortilegium Diuinatorium semper est illicitum, cum quæritur à sortibus quid sit futurum, vel ad cognoscendum occultum, quasi sortibus vis aliqua insit; hoc enim sortes non habent ex se, neque à Deo, quia Deus non se miscet vanis; ergo a Dæmone; ergo qui diuinationem ex sortibus inuestigat, subijcit se disciplinæ Dæmonis. *S. Thom. 2. 2. q. 95. art. 8 Suar. lib. 2. de super dist c. 12. n.* 28.

D. Explica breuiter Diuinationes, Incantationes, Maleficia, & vanas Obseruationes.

℞. Diuinatio est cum quis opem Dæmonis tacite, vel expresse inuocat, vt noscat res contingentes, & libere futuras, aliterue occultas, & naturaliter incognoscibiles, quæ si sint tales, quas solus Deus scire potest, inuoluitur tacita Idololatria, quod dæmoni tribuatur cultus diuinus. Si vero sint tales, quas dæmones naturaliter scire posśũt, item est illicita, quia commercium habetur cum dæmone inimico Dei. *Bonac. disp. 3. q. 5 punct. 3. Laym. tract. 10. lib. 4. cap. 3.*

In-

Incantatio est verba aliqua proferre ad sanandum, vel inueniendum aliquid tacita vel expressa inuocatione Dæmonũ. est prohibita sub mort. & indigna fide. *Nauar. in manuali cap.* 11.*n.*31.

Maleficium. est duplex. aliud Amatorium ad carnalem amorem, vel odium excitandum Dæmone hominis phantasiam commouente, nihil tamen agente in voluntatem; vnde vere peccant, qui hoc infecti labuntur, quia libertas illis non aufertur; aliud est venificum, quo alicui personæ, vel eius bonis damnũ infertur. *Filiuc. Tract.* 24. *cap.* 8. *q.* 1. *n.* 183. *Azor. T.* 1. *lib.* 9. *cap.* 26.

Vana obseruatio, est superstitio, qua medio aliquo improportionato, & á Deo non instituto procuratur aliquis effectus v.g. sanitas, scientia, &c. *S. Thom.* 2. 2. *q.* 96. *art.* 1.

D. Peccant ne mort. qui Ægyptianas fæminas. (Italicæ vocamus *le Zinghare*) petant de bona, aut mala fortuna, illis ostendendo manus, &c.

℞. Peccant mortaliter ex duplici capite 1. si credunt firmiter dictis eius 2. licet ipsi non credant, tamen scandalum dant videntibus, & audientibus Christianis. Sed si tantum petant animo ridendi, & ob curiositatem, vt fit communiter, tunc sola culpa venialis esset. *Nau. in man. cap.* 11. *n.* 31. *Sanch. lib.* 2 *summ. cap.* 38. *n.* 48.

D. Quomodo potest cognosci in aliqua re, vel verbo esse vanam obseruantiam?

℞. Tripliciter 1. ex insufficentia causæ adhibitæ ad effectum, si nimirum, nec habeat naturalem virtutem, nec de supernaturali legitime constet 2. ex adiunctione falsæ, vel vanæ circunstantiæ v.g. si debet fieri tali hora, tali manu, tali numero, filo talis coloris, &c. vel si nomina adhibeantur ignota, vel characteres peregrini; verba falsa, &c. vel si ponatur vis in modo scribendi v.g.

Euang.

hominem exercere maleficia seu sortilegia inito pacto cũ Dæmone, & præuia Apostasia à fide, illos denunciandos esse, & ad hoc tenetur illos Confessor obligare. Patet hoc ex Constitutione Gregorij XV. edita 20. Martii, 1623. *Qui vero similium delinquentium notitiam habuerint, eos Episcopo, seu Inquisitori denuntiare debeant. Bonac. disp. 6. punct. 2. n. 11.*

D. Qui non denuntiat maleficos dictos; &c. incidit ne in excommunicationem?

℞. Probabilius videtur non affici excomunicatione ipso facto, quia nullus textus afferri potest, in quo ista excommunicatio de facto expressa reperiatur. Solum remanet præceptum Sac. Congregationis 1623. cum 3. Ianu. præcipit suspectos quomodolibet de hæresi denunciandos intra duodecim dies sub excommunicationis pæna ipso facto incurenda summo Pontifici, & Sac. Cõgreg. reseruata; quod videtur non lex obligans in perpetuũ, sed præceptũ intra illos dies obligans, alias si esset in perpetuum, dixisset intra duodecim dies à die scientiæ *Suar. tract. de fide disp. 20 sec. 4. n. 28. Santarell. c. 9. n. 19. Bonac supra cit n. 12. sed dicit oppositum in vrbe sustineri.*

D. Quot sunt casus, & qui sunt cum Censura reseruati in Tertio Numero marginali? scilicet

III. *Recipientes Chrysma & Oleum S. ab alia, quam ab Ecclesia metropolitana & Vocantes ad ministrandum Sacram. Eucharistia, siue Extremæ Vnctionis infirmis aliũ, quã proprium Parochum, siue eius substitutum.*

℞. Tot hic sunt casus, quot sunt actiones prohibitæ, duæ sunt Actiones 1. Recipientes Chrysma, & Oleum S. 2. vocantes administrandum viaticum, & Extremam vnctionem, &c.

D. Debent ne Parochi á sua metropolitana accipere Chrysma, & Oleum Infirmorum?

℞. Cer-

℞. Certum est debere Parochos accipere à Metropolitano Chrysma, Oleum Catechumenorum, & Oleum Infirmorum, alioquin incurrent casum reseruatum, & Excommunicationẽ in Diæcesi Barensi; non si attentauerint, sed si receperint cum effectu sequuto. Quæ quia singulis annis ex consuetudine Ecclesiæ, & ex Clemẽtis VIII. præscripto consecrantur in Cæna Domini; Parochi cum primum commode possunt olea eo anno benedicta ad se deferãt, conbustis veteribus. *Ex Conc. Meldensi vt refert Burcardus lib. 4 cap 75. & Iuo p. 1. cap. 269. ex Pontif. Pauli III. & Clem. VIII. c. Presbiteri de Consecrat. dist. 4. cap.* 123.

D. De quo tempore loquitur Casus *vocantes*, &c. ad administrandum Eucharistiam.

℞. Certum est loqui de ministranda Eucharistia Infirmis; nam non loquitur de Paschate, cum omnes teneantur accedere ad Parochius, nec de alio tempore, cum sani sunt; tunc enim ad Ecclesias Religiosorum possunt accedere; & communicari; sed casus reseruatus est de vocantibus ad ministrandum viaticum infirmis, & sequatur effctus, alioqui vocare solum, & non cum effectu non est casus reseruatus. *c. omnis vtriusque sexus de Pæn. & Remiss. Trid. sess.* 13. *Can. 9. Card. de Lugo disp.* 18. *n.* 38. *& 49. sec.* 2.

D. Parochus teneturne ministrare Viaticum Infirmis moribundis?

℞. Tenetur, & ex Charitate, & ex Iustitia; imo tenetur inuestigare an in sua Parochia sint infirmi in periculo mortis constituti, colligitur, ex cap. 1. de Celebratione missarum *Laym. lib. 5. tract. 4. cap. 5. n. 6.*

D. Potest ne quilibet sacerdos siue sit secularis, siue regularis deficiente Paracho ministrare morienti Viaticum?

℞. Non

℞. Non solum potest, sed ex charitate tenetur in articulo mortis ministrare Eucharistiam, si absit, vel non possit Parochus; & etiam Diaconus deficiente Sacerdote. quia tunc præsumitur voluntas Episcopi, aut Papæ. *Laym. supra cap. 7. Bonac. disp. 4. q. 5. punt. 1. n. 10.*

D. Quis valide, & licite potest Sacramentum Extremæ Vnctionis ministrare moribundis?

℞. Licet valide possit ministrare hoc Sacramentum quilibet Sacerdos, & sic verum daret Sacramentum; illicite tamen ministraret, nisi habeat in infirmũ Iurisdictionem ab Ecclesia non impeditam. Vnde valide, & licite ministrat Parochus vel eius substitutus. Colligitur, ex Clem. I. de Priuilegijs. *Valent. Coninch. Laym. Bonac. apud Palaum tract. 26. disp. vnic. punct. 7. n. 3.*

D. Datur ne aliquis casus in quo Sacerdos quilibet siue Regularis, siue secularis possit ministrare?

℞. Certum est ex Clem. I. de Priuileg. quod Religiosi exempti, qui hoc sacramentum siue licentia Parochi præsumerent ministrare ligarentur excommunicatione reseruata Pontifici, quam non contraherent alii sacerdotes seculares, si hoc idẽ attentarent. Verum si Parochus, vel nõ possit, vel nolit ministrare, nec cõcedere alteri sacerdoti facultatem, posset quilibet sacerdos nõ excõmunicatus, nec suspensus, & deberet ministrare vnctionem quia eo casu ex licentia Episcopi, vel summi Pontificis ministrat, qui supplent Parochi defectum dando tacitè licentiam. *Valen. Coninch. Suar. Laym. Hanriq. Bonac. cum Palao supra n. 5.*

D. Quot casus, & qui reseruantur cum censura in 4. num. marginali? scilicet.

4. *Falsum malitiosè deponentes in Iudicio contra innocentem in causa Criminali, vel in causa Ciuili in graue damnum alterius; vel vt dicatur scienter effecerint. Nec non*

*Actuarij, siue subactuarij, siue Notarij, siue scribæ, qui cum alterius partis offensione, vel cum reipublicæ detrimento dolosè vel diminutam capiunt informationem, neq; omnium dicta testium scribunt.*

℞. Tres actiones prohibentur in hoc numero 1. est depositio falsi in iudicio. 2. est (vt aliis scienter deponant) causa. 3. est Actuariorum vel diminutam capientium informationem, vel nō omnium testium dicta scribentium.

D. Quæ verba in vnaquaq; actione variant casum, ita vt ex reseruato fiat non reseruatus in hoc numero?

℞. In prima actione ponderandum est *malitiosè* nam si deponant inaduertenter, & sine malitia, non est actio reseruata in num. 4. Ponderandum est *In iudicio* nam si falsum deponant contra aliquem in aliquo colloquio, & non in iudicio; erit quidem infamatoria collocutio, nō tamen reseruata in hoc numero. Ponderandum est *In graue damnum alterius* si enim ex depositione falsa leue oritur damnum, non est casus in hoc numero reseruatus. In secunda actione Ponderandum est *scienter* nam qui ignoranter dicit, non incurrit, sed qui facit, vt dicat; alioquin, & qui dicit, & qui facit dicere, incurrit. In Tertia Actione. Ponderandum est. *cum alterius partis offensione, vel cum reip. detrimento* quandoque possunt concurrere duo hæc, & offensio partis, & reipublicé detrimentum, si scilicet ob falsam depositionem seruantur scelerati homines in ciuitate; quandoque primum sine secundo, & quandoque secundum sine primo, vt si sine offensione partis in reipublıce damnum seruetur pestis hominum in vita. Ponderandum est *dolosè* quandoque enim diminuta informatio potest capi per inscitiā Actuarii vel per inaduertentiam, & sic in scriptione dictorum testium. Tandem Aduertendum quod tam falsa depositio, quam cogere alios ad deponendum falsum, &

actu-

actuariorum actiones debent sumi effectu sequuto non attentato solum, vt & reseruatio, & excommunicatio incurratur.

D. Confessarius qui habet facultatem absoluendi ab hoc casu n.4. marginali expresso quid dicere tenetur pænitenti?

℞. Tenetur dicere, si testatus est falsum sciēs per quod falsum alteri fuit efficax causa damni, quod est obligatus ad impeditionē, vel reparationē, omnium damnorum, quæ causantur. Item quod est obligatus reuocare cum pari suo damno, & periculo etiam vitæ, si reus de ea periclitetur, & putetur reuocando aliquid effecturum. Ratio quia in damno æquali potius habenda est ratio innocentis. Ita Communiter à D.D. *Hermann. in Theol. moral. Medulla lib. 4. de statibus cap. 3. dub. 6.*

D. Quare in responsione apposuisti ly *sciens*?

℞. Quia si ex ignorantia, vel inaduertentia, aut obliuione inculpabili falsum est testatus, & si teneatur impedire si possit, non tamen tenetur ad restitutionem, etiam si reus damnetur; quia neque tenetur ex delicto, neque ex re accepta.

D. Quare apposuisti ly *Causa efficax*?

℞. Quia si à parte rei falsum illud testimonium nihil effecisset v.g. quia per falsa testimonia aliorum iam tota causa damni erat data; ita vt Iudex ex hoc testimonio, nihil fuerit motus ad nihil tenebitur. *Less. lib. 2. cap* 30. *Laym. lib. 3. tract. 5. cap. 8.*

D. Quid dicendum de eo, qui suasus ab alio deposuit falsum, quis nam tenebitur ad restitutionem suadens, an deponens?

℞. Si suadēs efficaciter mouit deponentē, & graue damnū illatū est; tenebitur suadens; & deponēs in solidum, si damnū realiter secuutum est ex depositione ipsius sci-

enter deponentis falsum. Aliter tenebitur, qui causa fuit damni illati. *Less. lib. 2. cap. 30. Dubit. 7.*

D. Actuarii, &c. qui diminutā capiunt informationē, vel non omnia dicta testium scribunt, ad quid tenētur?

℞. Si diminuta informatione, vel scriptione, non omnium dictorum testium faciunt efficaciter, vt nocens absoluatur, vel innocens condemnetur, tenebuntur ad resarciendam offensam partis, & ad mala quæ ille faciet in Ciuitate; vel si nulla est offensio partis, tenebuntur ad secundum scilicet, vt qui pestem, & contagium ciuitatis seruauerint.

D. Confessarius si non monet, aut obligat Pænitentem ad restitutionem, ad quid tenetur?

℞. Confessarius, & si ex officio Cōfessiones audiat, vt Parochus, &c. si ex negligentia vel ignorantia pænitentē non moneat, aut obliget ad restitutionem, ad nihil tenetur, quia & si ex officio teneatur bene instruere pænitentem, & ideo peccet grauiter ommittendo, quando est necessariū; non tamen ad hoc tenetur ex obligatione erga tertium, quasi ex iustitia debeat eius damnū cauere, aut procurare, vt hoc ei compensetur; secus tamen dicendum videtur si positiue restitutionem impediat ex malitia, imo etiam ex ignorātia crassa, vel culpa lata. quia tunc consilio suo est causa efficiens damni. *Less. lib. 2. cap. 13. Dub. 10. n. 77. Bonac. disp. 1. q. 2. punt. 11. Laym. lib. 3. tract. 4. cap. 7.*

D. Quot sunt casus, & qui sunt cum Censura reseruati in 5. num marginali? scilicet.

V. *Præsumentes accedere ad Monasteria quamuis exempta, vt cum montalibus vel cum alijs quibuscumque in Clausura existentibus colloquantur sine nostra, vel nostri Vicarij expressa licentia. Exceptis mulieribus & vendentibus necessaria per Ciuitatem circumeuntibus, dummodo non ad alium*

*alium malum finem colloquantur. Declarantes, quod qui facultatem obtinuerint colloquendi cum aliqua prædictarum nō possunt eadem vti, vt cum alia colloquantur data opera aut ex professo. Præsumentes autem sub prætextu licentiæ obtentæ cum aliqua ex monialibus, aut cum alijs quibuscunque, intra earum Clausuram existentibus de rebus obscænis, verbis, aut actibus impudicis per tractare, vel ludere, vel litteras de rebus obscænis, siue internuntiū transmittere ipsofacto excommunicationem incurrunt, in quam excommunicationem incidunt etiam omnes vtriusque sexus, qui litteras amatorias, & obscænas mittunt, illasque scienter deferunt, & recipiunt.*

℞. Tria hic reseruanrur cum Censura 1. Accessus ad colloquendum sine licentia cum moniali, vel alia existenti in Clausura. 2. Colloquium cum alia, quæ non sit expressa in licentia, 3. Prætextu licentiæ colloquium de rebus obscænis, actus impudici, & missio, & receptio litterarum obscæna continentium vel amatoria verba, &c.

D. Qui nam excipiūtur, ab hac excōmunicatione de colloquio ordinario propter negotia cum monialibus?

℞. Excipiuntur duo genera personarum 1. mulieres. 2. Vendentes necessaria per Ciuitatem. modo malus finis non ad sit. si enim istæ, vel isti deferrent deuotorum, (vt aiunt) mādata, vt sic cōseruetur deuotorum amicitia cum aliqua ex monialibus. vel istæ, vel isti verbis, vel actibus proprios insinuarent turpes amores, hic est finis malus, & vnico tantum verbo reseruatione, & excommunicatione illaquearentur.

D. Est ne in iure aliqua prohibitio circa accessum ad colloquendum cum monialibus?

℞, Est duplex textus in iure 1. C. *Periculoso* de statu Relig. in 6. vbi sic. Bonif. VIII. *Nulliq; aliqatenus inhonestæ personæ, nec etiā honestæ, nisi rationabilis, & manifesta causa exi-*

*existat, ac de illius, ad quem pertinuerit speciali licentia ingressus, vel accessus pateat ad easdem moniales.* 2. *C. monasteria* de vita, & honestate Clericorum vbi sic Alexander III. *Monasteria sanctimonialium si quisqam Clericus sine manifesta, & notabili causa frequentare præsumpserit per Episcopum arceatur, & si non destiterit, ab officio Ecclesiastico reddatur inmunis. Si laici, excommunicationi subdantur, & a cœtu Fidelium fiant penitus alieni.*

D. Explica quid in Iure hoc antiquo dicitur?

℞. In *C. Periculoso.* simpliciter interdicitur omnis accessus. *in C. monasteria.* solum interdicitur frequens monialium visitatio, in *C. Periculoso.* loquitur vniuersaliter, & aperte tam de viris, quam de fœminis *in C. Monasteria,* de solis Clericis, & Laicis sermo habetur; non de Religiosis, non de Canonicis, nec de Clericis in aliqua dignitate constitutis. in *C. Periculoso* nulla pæna inponitur ad monasteria monialium accedentibus. In *C. monasteria.* Clericis post Episcopi monitionem suspensio minitatur. Laicis post monitionem excommunicatio ferẽda, nõ lata indicitur, & particula, illa *&*, posita ante verba á *cœtu fidelium fiant penitus alieni* significat idest, explicat enim nomen excõmunicationis antea positum *Nau. cit. Sanchez. in manual. lib. 6. cap. 16. n. 106. Sanchez supra n. 107. cum Hostiens. Abb. Imola Ancaran. & Cardinali.*

D. Accessus qui ad monasteria prohibetur *C. Periculoso* quomodo intelligitur? nam siquis accederet cum animo colloquendi, & ante colloquium pæniteret, & rediret; hic esset iam in *C. periculoso* incursus, & consequenter in peccatum?

℞. Verba debere intelligi cum effectu. positus est autem accessus ad monasteria ad colloquendum, vt sic cõprehenderentur loquentes cum monialibus in monaste-

rio

tio expecto. Colloquium enim nō potest esse sine accessu, & quia solum colloquium in loco exempto non potest prohiberi, prohibetur accessus, qui in non exempto loco, & iurisditione consumatur. *Bonac. tract. de Clauf. q.3. punct. 1. n. 2.*

D. Qui è fenestra domus, vel ex alio loco moniales alloqueretur, incurreret ne in culpam ob prohibitionem C. *periculoso* si non accederet?

℞. Puto quod incurreret. tum quia accessus, & locutio, copulatiue prohibentur, tum quia accessus non esset prohibitum, nisi prppter colloquium, *& propter quod vnumquotque tale, & illud magis*.

D. In præcitatis iuribus est ne aliquid contra mittentes litteras ad moniales?

℞. Nihil. solum Greg. XIII. excommunicat ipso facto Religiosos mittentes, seu scribentes litteras ad moniales sui ordinis. *Bonac. supra punct 2. n. 5.*

D. Si quis scriberet, & litteræ nō peruenirent ad monialem, erit ne excommunicatus ex bulla Greg. XIII.?

℞. Nequaquam. nam hæc est mens superioris; parum enim refert quod litteræ scribātur à religioso, & non perueniant, & hoc procedit etiam si aliquis referat ore, quod erat in litteris. *Sic Sanch. loc. cit. n. 115. Nauar. Rodriq. Mirand cum Bonac. p. 2. n. 4.*

D. Est ne culpa grauis accedere ad colloquēdū cum monialibus?

℞. Sanchez supra n. 120. rarissime attentis circumstantijs extrinsecis frequentātes excusari á mortali; quia rarissime non inde scandalum consurget, & rarissime deficiet aliquis finis turpis. Si tamen illæ circumstantiæ non concurrerent, erit culpa venialis; nisi frequentans ab Episcopo monitus non desistat; tunc erit culpa mortalis ob contumaciam non obediendo monitioni.

℞. Cum

℞. Cum Bonac.& alijs accessus ad moniales est culpa grauis, quia hæc est natura legis, vt in re graui obliget sub mortale, & sic ante monitionẽ Episcopi tenetur, sub graui culpa. ob dispositionẽ *C. Periculoso.* de statu regullar. in sesto. Post monitionem vero, non solum tenetur sub culpa graui, sed etiam sub pænis comminatis in *C. Monasteria*, de vita, & honestate Clericorum. ***Bonac. punct. 3. n. 1. cum Soto Valent. Beccano, Rodriq. Homobon. Llamas, Miranda.***

D. Quæ Pænæ, & quibus comminantur frequentantibus monialium monasteria?

℞. Laicis comminatur excommunicatio, quæ post monitionem, & post vnicum accessum potest fulminari. Clericis, si post monitionem Episcopi noluerint corrigi, ferenda est suspensio, etiam si semel post monitionem accesserint, & si nolint corrigi possunt excommunicari, & deponi, ex C. *vt Clericorum* de vita, & honestate Clericorum. *C. monasteria de Vita, & honest Cler. Bonac. supr. cum Hostien. Anchar. Imola Cardin. & alijs.*

D. Religiosi accedentes ad colloquendum includũturne in pænis Clericorum?

℞. Nihil est contra Religiosos in præcitatis iuribus, sed est Decretum Sac. Cong. iussu Sisti V. editum 1590. inquo decreto imponitur pæna priuationis officiorum, vocis actiuæ, & passiuæ ipso facto incurrenda, qua pæna omnes Religiosi ligantur (exceptis superiore cui domus cura incumbit, Visitatore, & Confessore Ordin. & extraordinario) si sine expressa licentia Sac Cong. accesserint ad moniales siue sui, siue alterius Ordinis. ***Bonac. supra punct. 4. Propos. 3. n. 3.***

Qui ad prædicandum, vel ad celebrandã missam accedunt ad monialium Ecclesias, nec cum aliqua moniali ũ, nec cum aliqua alia in clausura degente possunt loqui.

Nec

Nec Confeſſarij, nec alij poſſunt pernoctare in vicinis ædibus monaſterio, vel in aliqua æde ipſius monaſterij.

Confeſſarijs vix permittitur, vt tempore generalium Confeſſionum ibi refectionem accipiant, ſi domus habitationis ipſorum multum diſtet; alio verò tempore nullo modo comedant, vel reficiantur.

D. Qui facit contra hoc decretum peccat ne mortaliter?

℞. Licet Nauar. in Man. c. 23. n. 57. dicat non peccare mort. quia lex humana pænalis non obligat ſub peccato mortali Bonac. tamen, ſupra; cum alijs dicit obligare ſub mort. Tum quia verba Decreti indicant ſtrictiſſimam obligationem. Tum quia grauis pæna impoſita in lege Pænali importat pecc. mort. ita Bonac. tract. de legibus diſp. 1. p. 7. q. 1. §. 2. & 3. n. 26. *Barchio Homobo. Clauiregia.*

D. Eſt ne aliquid conceſſum Religioſis à Sac. Cong. in poſterum?

℞. Decretum eſt à Sac. Congreg. 1623. Iuſſu Vrbani VIII. vt Epiſcopi dent Religioſis licentiam quater in anno, vt alloquantur moniales in primo, & ſecundo gradu conſanguinitatis tantum, non in diebus feſtis, nec in Aduentu, vel Quadrageſima, nec *fer. 6.* vel Sabb. & vigilijs. Licentia conſignetur Confeſſario ordinario, qui penes ſe retineat, & hic Confeſſarius aſpiciat, & ſit præſens, aſſiſtant etiam Auſcultatrices, & non aliæ. Item licentia annotata die, & hora certa concedatur in ſcriptis, & in libris Cancellariæ eiuſdem Ordinarij regiſtretur. Si verò alias, & non ita dabitur licentia, non ſuffragabitur religioſis, & incident in pænis, ac ſi non obtinuiſſent licentiam. *Bonac. ſupra n.* 4.

D. An his pænis ſubiaceant Equites S. Ioannis Ieroſolimitani?

 ℞. Affir-

℞. Affirmatiue; quia sunt veri Religiosi.ex declaratione Sac. Cong.*Bonac.supra n.6.cum Campanil.& Barb.*

D. An Religiosi ligētur pænis ab Episcopo latis cōtra accedentes ad moniales?

℞. Religiosi, si qui sunt, non exempti, ligātur; exempti veró non ligantur, sed isti etiam si loquantur in monasterio exempto, possunt puniri ab Episcopo vt à Delegato sedis Apostolicæ per Bullam Greg. XV. de exemptorum Priuilegijs, quam Bullam anno 1624. Vrbanus VIII. approbauit. *Bonac.n.8.Rodriq.cum Barb.Sānch.de matr. lib.7.disp.33.*

D. Explica nunc casum reseruatum cum censura in Diæcesi Bariensi. & primo interdicitur ne accessus ad monasteria materialiter sumpta?

℞. Non interdicitur accessus causa videndi Ecclesiā, & alia materialia, nec causa audiendi sacrum, sed causa loquendi, vel vt aspiciat, & inspiciatur à monialibus, vel alijs intra clausuram degentibus. *Sanch.in moral. lib 6. cap.16.n.112.& cit.Nauar.& Rodriq. Bbnac. tract.de Claus.punct.1.n.3.*

D. Si famulus mittatur ad colloquēdū cū monialibus à Domino suo; quis incurrit famulus, an Dominus?

℞. Qui cooperatur ad accessum alterius, est reus culpæ non pænæ; sic Dominus non incurrit casum, sed famulus nisi excusetur, quia graue damnum pateretur à Domino non obediendo. *Graff p.1.consil.22 de sent. excommunic.n.35.H omob.de casib.reseru.punct.2.cas.4.*

D. Quomodo à culpa, & pæna excusentur accedentes ad colloquendum cum monialibus?

℞. Excusantur dupliciter. Primo ob paruitatem materiæ (quæ non datur in colloquio turpi, & amatorio.) Secundo ob causam rationabilem, & manifestam approbatam á licentia superioris, *Bonac.punct.5.n.1.supra.*

D. An

D. An taciturnitas superioris sufficiat ad hoc, vt putetur velle colloquium, & dare licentiam?

℞. Sanchez *n.* 114. *sup.* sufficere taciturnitatẽ. ℞. Bonacina. *n.* 5. *pun.* 5. nõ sufficere solã taciturnitatẽ, nisi ex alijs signis, & coniecturis appareat velle, & dare licentiã.

D. Quid significat verbum illud *ludere* positum cum agitur de rebus obscænis?

℞. Quod sæpe fit colloquium de rebus obscænis per modum lusus, risus gratia, & ioci, & hic lusus prohibetur cum non deceat sic ludere cum sponsis Christi Domini. & in hoc aduertant medici, & artifices, qui habent licentiam intra monasterium opera suæ artis exercere.

D. Qui sunt casus cum censura reseruati in 6. n. marginali? scilicet.

VI. *Publici concubinarij in vtroque sexu.*

Vnicus est hic casus, sed multa circa illius explicationem possunt dici.

D. Quid est concubinatus, & quis dicatur concubinarius?

℞. Concubinatus est frequens, & consueta fornicatio cum eadem persona, vnde non sufficit vnus, aut alter actus fornicarius, sed requiritur consuetudo, & quædã cohabitatio, ac si matrimonio coniuncti sint, & est graue peccatum, & periculosum, quia non solum homo peccat, sed est in statu peccati, & in continuo proposito saltem virtuali peccandi. Concubinarius dicitur ille, qui copulam habet cum femina soluta, vel cõniugata, tenendo eam ad venerem, ac si esset vxor. *Bonac. de matrim. q 4. punct. 14. n. 8. citatq; Syluest. & Tolet.*

D. Quid decernit Concilium Trid. contra Concubinarios?

℞. Decernit vt cõcubinarij siue soluti siue vxorati feriãtur excõmunicatione; si ter admoniti non abstinẽt á cõ

uerſatione nefanda, & vt mulieres concubinæ, ſi ter monitæ non abſtinēt, vt extra territorium, ac Diæceſim eiiciātur, alijs pœnis in ſuo robore permanentibus. *Seſſ. 24.cap.8.de Reform.matrim.*

D. Quid fit in Diæceſi Barienſi?

℞. Publicus concubinatus fit caſus reſeruatus; & ita publici concubinarij actuali non comminatoria excommunicatione innodantur in Diæceſi Barienſi.

D. In lege veteri erant multi concubinarij, & hi erant SS. vt Abraham, Dauid, & alij. cur ergo nunc non eſt licitus concubinatus?

℞. In lege veteri ex diſpenſatione diuina permittebatur pluralitas vxorū; ſed hec ſublata fuit á Chriſto Domino, *Mat.19.* & illa pluralitas licité à Deo cōcedebatur; nō enim erat de iure naturæ primario illam non habere, ſed ſecūdario, & Deus poterat conſulere incommodis, quæ alioquin ſequi poterāt. & illæ erant veræ vxores, licet dicerētur concubinæ, quia ſine ſolemnitate, & ritu conſueto ducerentur, & non admitterētur ad domeſticam familiæ gubernationem. *Ledeſ. Sanch. Valen. Coninch Heriq. Reginal. cum Bonac. de matr. q.3 punct. 10. n.4. & q.4 punct. 14 n. 9.*

D. Quomodo ſe gerere debet Confeſſarius, qui habuit facultatem abſoluendi Concubinarium?

℞. Si concubina domi retinetur, non debet abſoluere concubinarium, licet millies promittat, niſi actu illam dimittat, quià quandiu concubinam non dimittit, eſt in proxima peccandi occaſione, & non cenſetur habere ſufficientem dolorem, ac propoſitum vitandi peccata in futurum; & ideo non poteſt abſolui. *Azor. Clauis Reg. Nauar. cit. à Bonac ſupra punct. 14. n. 11.*

D. Si ſanus ſit concubinarius, & ſerio promittat ſe non peccaturū cum illa, poteſt ne abſolui illa non demiſſa?

℞. Bo-

℞. Bonac. *sup. n.* 12. non debet absolui, antequam eijciat etiam si reuera non sit concubinarius, sed, à populo credatur esse cōcubinarius. cū enim quod est scandalum aliorum perinde sit, ac si reuera esset, non debet absolui antequā diuulgetur ipsum non esse concubinarium, *Lopez.* 1. *par. c.* 78,

D. Si concubinarius sit moribundus potest ne absolui?

℞. Non dimissa concubina, nequaquam. Et aduerte, vt animum nō habeat illam denuo reuocandi; alioquin si dimiserit, & animum non mutauerit, damnabitur, si in illo animo moriatur. Sic S. Antoninus *part.* 2. *tit.* 5. *c.* 2. § 2. refert de quodam, qui ficte dimisit concubinam, dum ægrotabat, intendens reassumere illā, si sanabatur; Obijt, & apparuit Confessario, dicens se ob hoc fuisse cōdemnatū. *Manc. de Sacram. Confess. pract.* 4. *dub.* 33.

D. Si concubinarius sanus accedit ad Confessarium, & dicit se iam eiecisse, vt de facto eiecit, concubinam, potest ne statim absolui?

℞. Prudens confessarius considerata bona Pænitentis dispositione, qui non solum domo eiecit, sed procurauit eius extra ciuitatē eiectionem, ita vt nullum sit amplius commercium, potest absoluere. Si vero non ita dispositus accedit, & mulier adhuc non est collocata in tuto, debet absolutionem suspendere per vnum vel per alterum mensem. & si aduertat pænitentem non habere amplius cum illa commercium nec litteris, nec nuntio, nec alio modo, potest absoluere; aliter non absoluat præsertim si ab illa concubina filios habeat.

D. Quot sunt casus, & qui sunt cum censura reseruati in septimo num. marginali? scilicet.

VII. *Sponsi, vel Sponsæ accedentes domum in qua sit spōsus, vel sponsa ad cohabitandum, & copulam habendam*

*ante*

*ante contractum matrimonium coram Parocho, & testibus; & ad hoc efficaciter consulentes, adiuuantes, & cooperantes.*

℞. Hic reseruatur vnicus casus. Copula scilicet cum sponsa ante contractum matrimonium; sed illaqueantur multi censura sequuta copula cum effectu, non attẽtata 1. sponsus, & sponsa, 2. consulentes, adiuuantes, cooperantes efficaciter, dicendo hoc nihil esse. Sponsum accedere ad vxorem suam. & factum iam matrimonium, quia capitula matrimonialia iam lecta, & firmata sunt. Et dum hoc dicunt tria afferunt mendacia euidẽtia. 1. Nihil hoc esse. Nihil est peccatum mortale? Nihil est victoriam dare Diabolo, qui ante Sacramentum, vult vt principium sumat matrimonium à Fornicatione? 2. quid dicis peruerse ad vxorẽ suam sponsus accedit? dum cognoscit feminam nõ dum suam per Sacramentũ? 3. Factum est matrimonium, quia Capitula scripta sunt. O Palmare mendacium. Matrimonium Catholicum approbatum á Concilio Tridentino non est factum, sed Clandestinum Damnatum in sacra illa Synodo sess. 24. c. 1 decreto de reformatione matrimonii.

Nota, mi lector, quod hic casus additus est antiquis Casibus reseruatis in hac tertia Synodo Diæcesana; multum namque per Ciuitatem, & Diæcesim grassatur, & frequẽs est hoc Diabolicũ, & enorme facinus; & ideo Illustriss. & Reuerendiss. Archiepiscopus D. Didacus Sersalis, vna cum eius Vicario, & officiali Generali Ioanne de Rubeis à Montereali Reatinæ Diæcesis V.I.D. & Prothonot. Apostolico, sedulo inuigilarunt vt tanto malo efficaciter occurrerent. nonnulli pecuniaria pæna putabant extingui; Sed qui non sunt pauperes, facillime soluebant nonnullas libras candelarum altari Beatissimæ Virginis applicatas, & sic maiores vires capiebat incen-

cendium; qui veró ſunt pauperes lacrymis, precibus, extorquebant abſolutionem,& diabolico ſceleri nullum erat remedium efficax. Armis ſuis pugnet Eccleſia, & prauam conſuetudinem à Diabolo introductam Cenſura exterminet. aduertant Confeſſarij, aduertant Parochi ſuos pænitentes, ſuos Parochianos de enormitaté huius delicti, vt matrimonia ſint pacifica, & ſumant initium non á Diabolo, diſidiorum parẽte, ſed à Chriſto Domino pacis,& omnium bonorum largitore.

D. Quæ mala oriuntur ex hiſce fornicarijs Copulis ante matrimonium rite, & catholice contractum?

℞. Multa, ſed præcipue 1. qui cognoſcit ſic mulierem poteſt, vt ſæpe accidit, vt expleta ſua libidine illam iniuratã relinquat; & forſan grauidam. 2. Diabolus ſe ſic iactat dare initium matrimoniis enormi ſcelere, vt illos pro ſe militare dicat non pro noſtro redẽptore Chriſto. 3. ſi ex illo primo congreſſu mulier concepit, vt poteſt euenire, illa creatura non erit legitima, & vltra peccatũ originale omnibus commune, erit in fornicationis peccato concepta dupliciter ſub poteſtate Diaboli; & licet hæc omnia in S. Baptiſmate abluantur, tamen verum erit dicere illam creaturam duplici titulo ſub diaboli poteſtate fuiſſe 4. Dicãt, vnde in matrimoniis tot rixæ, tot lacrymæ, tot blaſphemiæ, tanta inter virum, & vxorem diſcordia; vt vir maledicat quando tali feminæ aſſociatus eſt; & vxor quando cum tali homine contraxit? Vnde vir experitur vxorem maledicam, vanam, querulam, guloſam, immodeſtam, & ſæpe impudicam? Niſi quia antequam Chriſtus eos coniungeret, coniuncti ſunt à Diabolo? Vnde vxor experitur virum ebrioſum, clamoroſum, blaſphemum, aleatorem, laboris inimicum, filiorum non patrem, ſed hoſtem, & proprii honoris venditorem

torem inuerecundum? nisi quia initium talibus nuptiis dedit non Christus Dominus noster, sed humani generis scelestus Tyrannus? Ite nunc, & quia noluistis paucas horas, vel Diem expectare, donec Parochus in nomine Domini vos coniũgeret, trahite super vos ob momentaneam impuram delectationem hanc malorum iliadem, hanc perturbationum congeriẽ, vsquedum vel vir impudicus claudat oculos, vel è viuis discedat illa, quæ ãtequã esset vxor, fuit infamis meretrix.

D. Qui sunt Casus, & quot sunt reseruati in Diæcesi Bariensi sine Censura?

℞. multi sunt, in Octo Numeros marginales dispositi.

D. Qui casus sunt in Primo numero marginali reseruati? scilicet.

I. *Blasphemantes Deum, vel B. Virg. experuersa consuetudine coram pluribus personis supra quatuor.*

℞. Vnicus hic casus reseruatur, sed vt sit reseruatus tres debet habere conditiones; Prima vt sit blasphemia de Deo, Christo, vel B. Virgine, nã reliquorum Sanctorum blasphemia non reseruatur, nisi primario referatur ad Deum, vel Christum &c. Secunda non sufficere ad reseruationem si semel, vel bis, si aliquando blasphematur, sed *ex peruersa consuetudine*, quod dicit exercitium iteratum. Tertia quod non sufficit si fiat coram vno &c. sed quinq; personæ necessarium est, vt audiant sic solitum blasphemãtem. & vt ait Lessius *lib. 2. cap. 45. dub. 5. n. 34. de Iust.* vt sit publica *Farin. lib. 1 praxis tit. 3 q. 20. n. 43. relatis alijs Barbos. 3 p de potest. Episc. alleg. 50. n. 101.*

D. Quotuplex est Blasphemia, & quæ hic reseruatur?

℞. Blasphemia duplex est; alia est Cordis, alia est oris. Rursus alia est simplex, alia hæreticalis. hic oris blasphemia, & simplex reseruatur. *Bonac. disp. 3 q. 8. punct. 1. n. 2.*

D. Quæ-

D. Quænã est blasfemia simplex,& quæ hæreticalis; & hæc cur non est hic reseruata?

℞. Blasphemia simplex dicitur illa, quæ non opponitur directe articulis fidei, seu quæ non continet directe falsitatem contra veritatem Fidei; Blasphemia hæreticalis est illa, quæ articulis fidei directe opponitur, seu qua asseritur aliquid contrarium fidei. & hæc non reseruatur hic, quia si assensus intellectus adsit cum pertinacia, non solum est blasphemia, sed hæresis. & hic casus non solum est reseruatus in Bulla Cænæ, sed habet annexam excommunicationem,& præmissa corretione, si non sequatur emendatio, denuntiandus est talis hæreticalis blasphemus Ordinario, vel Inquisitori. *Suar. Sanch. cum Bonac. sup. n. 3. Bonc. supr. n. 4.*

D. Qui blasphemat ex consuetudine, & habitu, sed non sufficienter aduertit quando actualiter blasphemat, peto hic peccat nè mortaliter?

℞. Si non aduertit quando actualiter blasphemat, certum est ex defectu voluntarii,& aduertentiæ nõ actualiter nouo peccato peccare; Sed solum peccauit in Causa, quia non abstulit prauam consuetudinem, ad quam aduertit. *Suar. Nauar. Sanch. cũ Bonac. sup. punct. 3. n. 3.*

D. Blasphemia in Deũ, vel B. Virg. quæ hic reseruatur est ne specie distincta à blasphemia in Sanctos?

℞. Certũ est ex sententia Caiet. & Azor. blasphemiã in Deum non differre specie à blasphemia in SS. quia blasphemia opponitur religioni, sed vna est Religio qua Deo debitus cultus tribuitur, & SS. propter ipsum Deum, ergo est vnum specie peccatum. Sed quia hic reseruatur in Deum,& B. Virg. blasphemia, ideo debet explicari in Confessione, vt Confessarius aduertat, an casu reseruato ligeris. & ideo hæc blasphemia reseruata est, quia ex Bonacina non est circunstantia solum aggrauãs

 blas-

blasphemare Deum, vel B. Virg. sed est aliquid spectās ad obiectum, & ad constitutionem actus in suo esse indiuiduali. *Bonac. supra punct. 4. n. 2. cum Suar. Sanch. Reginal. ibi cit.*

D. Qui sunt casus reseruati sine censura in 2. num. marginali. scilicet.

II. *Peccatū sodomiā exercentes; vel cū Brutis coeuntes.*

℟. Duo sunt casus reseruati. Primus est sodomiæ exercitium. Secundus est Bestialitas.

D. De Exercitio sodomiæ responde ad nonnullas dubitationes. & primo. Quid, & quotuplex est sodomia, & quæ sit casus reseruatus?

℟. Sodomia proprie accepta est Coitus inter personas eiusdem sexus, vt masculi ad masculum, fæminæ ad fæminā. & sic quando masculus cognoscit fæminam extra vas naturale, seruat sexum, licet non seruet debitum vas. & sic proprie nō committit sodomiam; Vnde abusus fæminæ a masculo, cum non sit proprie sodomiam, & reseruatio sit odiosa, & consequēter stricte explicanda, non est reseruatus. *S. Thom. 2. 2. q. 154. art. 11. in corp. Caiet. Azor Valent. Nauar & alij quos citat & sequitur Bonac. q. 4 punct. 11. n. 1. de matrim. & n. 5.*

D. Quid requiritur vt vitiū sodomiæ sit casus reseruatus; & an reseruatio sit tam pro agente; quam pro patiente?

℟. Requiritur Primo, vt non solum bis, aut ter hoc detestabile crimen sit admissum, sed vt sit exercitium; illi autem in iure dicuntur exercentes, qui aliquid frequenti vsu, & quasi ex consuetudine faciunt. Requiritur secundo, vt peccatum sit in sua specie consumatum, non enim sufficit quælibet pollutio cum aliquo nisi intercedat coitus intra vas &c. Tandem hæc reseruatio extenditur non solum ad agentem verum etiam ad patientem,

quia

quia peccatum tam agentis, quam patientis dicitur ſodomiticum. *Nauarr. Quaranta Suar. Azor & alij quos cit. & ſequitur Bonac. ſupra n. 2. Iulius Clarus lib. 5. §. ſodomia. verſ. ſed quaro.*

D. Vtrum peccatum Sodomiæ habeat aliam malitiã præter malitiam ſodomiæ?

℞. Aliquando habere aliam malitiam, vt ſacrilegij quando committitur cum Religioſo, vel Sacerdote, vel cum habente votum Caſtitatis. aut malitiam iniuſtitiæ, quando fit cum violentia contra alium. Vel adulterij, quando fit cũ coniugato; vel cõtra pietatem, & reuerẽtiã debitam cognatis, quando fit cum maſculo cognato intra primum, vel ſecundum gradum affinitatis, vel conſanguinitatis. quod peccatum, quamuis non ſit vere inceſtus, cum non cõmittatur intra vas debitum debiti ſexus, eſt tamen inceſtuoſum, cum ſit abuſus luxurioſus inter cognatos iure naturali prohibitus propter reuerentiã, & pietatẽ cognatis debitam. Vnde in confeſſione explicãda eſt perſona, cum qua perpetrata fuit ſodomia, vt ſic explicetur illa malitia ſuperaddita ſodomiæ. *Azor. 3. p. lib. 3. cap. 18. Finellius de caſib. reſer. caſ. 10. n. 10. Bonac. ſupra n. 6. num. 7.*

D. Peto, ſi commiſſa eſt ſodomia cum perſona cognata cognatione ſpirituali, vel legali explicanda ne eſt in Confeſſione perſonæ cognatæ circumſtantia?

℞. Non videtur neceſſario explicanda. vt ſi quis ſit congreſſus cum perſona à ſe baptizata, vel leuata in Baptiſmo, vel Confirmatione, vel cum adoleſcente ſibi in filiũ adoptato. Quia nulla lex ſpecialis extat, quæ hos congreſſus ſpecialiter prohibeat præter legem poſitiuam generaliter prohibentem nefarium congreſſum. Hoc ſit dictum, quod non ſit explicanda vt in hoc n. 2. marginali dicitur non autem vt videbimus, in 3. n. margina

ginali *Incestuosi* propter cognationem spiritualem. *Azor. supra c.q.4 & c.10.ad finem. Bonac.supra c.n.8.*

D. Quare potius explicandus est primus vel secundus gradus affinitatis, vel consanguinitatis, quando nefaria copula habita est cum consanguineo, vel affine in primo vel secundo gradu, quàm sit explicandus tertius, vel quartus gradus, quando habita est cum consanguineo in tertio, vel quarto gradu?

℞. Disparitatis ratio est quia nefaria copula in primo, & secundo gradu specialiter, & magis offendit naturalē reuerentiam debitam cognatis in primo, & secundo gradu. Aduerte autem quod loquor de consanguinitate in linea transuersa, nam in linea recta explicanda est circūstantia personæ consanguineæ in quocunque gradu. *Bonac.supr.n.11.*

D. Quæ pæna statuta est grauissimo, & turpissimo peccato sodomiæ non solum à secularibus in lege ciuili, sed ab Ecclesia in lege Canonica?

℞. A Iure Ciuili, mortis per flammas. ab Ecclesia Clericis, pæna depositionis. Imo Pius V. in Extrauaganti, vt refert. *Nauar. c. 27. n. 249.* sanxit vt Clericus cuiuscunque sit dignitatis exercens sodomiam priuetur omni priuilegio Clericali, omni beneficio, & dignitate Ecclesiastica, sed requiritur sententia Iudicis; ita tamen vt retrotrahatur ad diem commissi criminis, possitque ab altero beneficium impetrari, ac si vacasset á die commissi criminis; nec non alteri possit conferri tanquam vacans, cum primū delinquens fuerit condemnatus à Iudice. *Couar.Clem.de Homicid.1.par.§.1.n.6.Gomez, & Iulius Clarius cit.à Bonac.supra n.2.Azor.cit.à Bonac.supra.n.2.*

D. De coitu cum Brutis, responde ad nonnullas dubitationes. quid est Bestialitas?

℞. Est coniunctio carnalis cū re alterius, speciei v.g.

cum

cum Bruto, vel cum Dæmone incubo, vel succubo, quod potest fieri vel dæmone comparente in forma Bruti, vel in forma hominis, vel in forma fæminæ. *Philiarch. de Offic. sacerd. T. 1. p. 2. lib. 3. c. 8. Bonac. supr. punct. 12. n. 1. & 2.*

D. Hoc peccatum cum Dæmone commissum habet ne aliam malitiam præter malitiam Bestialitatis?

℞. Habet & malitiam superstitionis, vt includit societatem cum dæmone, quæ circumstantia explicanda est in Confessione. Habet etiam speciem aliquam fornicationis, quando scilicet in congressu cum Dæmone, ab ipso transfertur semen alicuius hominis in vas naturale mulieris, quatenus recipitur semen humanum, ex quo fætus aliquis generari potest. *Caiet. 2. 2. q. 15. art. 11. Sà v. luxur. Bonac. supr. punct. 12. n. 3.*

D. Peccatum bestialitatis differt ne specie pro diuersitate belluarum cum quibus perpetratur?

℞. Nequaquam. quia diuersitas belluarum tantum importat differentiam materialem, & habet turpitudinem eiusdem speciei, & eiusdem rationis. Vnde non est necessarium in Confessione exprimere belluã, cum qua habita fuit copula, sed sufficit dicere cõgressum fuisse cum re alterius speciei. *Azor. 3. p. lib. 3. c. 22. Sà v. luxuria. & alij cum Bonac. supra. n. 4.*

D. Peto tandem, vt Coitus cum Brutis sit reseruatus, dicit ne consuetudinem, an sufficit semel deliquisse?

℞. In numero secundo marginali dicitur *coeuntes cum Brutis*. quia hoc peccatum est grauissimum, & creaturæ rationali maxime indecẽs, ideo nõ positũ est exercitium, vt sit casus reseruatus, sed sufficit semel perpetrasse.

D. Qui sunt casus reseruati sine censura in tertio numero marginali, scilicet.

III. *Incestuosi in Primo vel secundo gradu Consanguinitatis*

*tatis vel affinitatis; vel cognationis spiritualis, & filiationis ex sacramēto Pænitētiæ contractæ, quo ad virum tantum.*

℞. Tres sunt. Primus est de Incestuosis in consanguinitatis vel affinitatis primo, & secundo gradu. secundus est de incestuosis ob cognationem spiritualem. Tertius est de Confessarijs cognoscentibus carnaliter suas pænitentes.

D. Explica primum casum?

℞. Reseruatur in hoc casu Incestus in primo gradu, vt inter Patrem, & Filiam, vel Matrem, & Filium. & in secundo gradu consanguinitatis, vt inter Fratrem, & Sororem. Vel incestus in primo affinitatis, vt inter Patrem, & vxorem Filij *La Nora*, vel Matrem, & Maritum filiæ, *Il Genero*. & in secūdo vt inter Fratrē, & vxorē fratris. *La Cognata*. & Sororem, & Maritū alterius sororis, *Il Cognato*. Hoc autem intelligitur Copula perfecta, idest vt seminis emissio sit intra vas. *Suar. Azor. Nauar. quos cit. sequitur Bonac. q. 4. punct. 16. n. 3. de matrim.*

D. Explica secundum Casum.

℞. Reseruatur secundo loco Incestus inter Compatres, & Commatres ex duplici capite vel ex Baptismo, vel ex Cōfirmatione; hinc enim consurgit spiritualis cognatio, & hic etiam intelligitur reseruatus perfecta copula.

D. Explica Tertium Casum.

℞. Reseruatur tertio loco actus fornicationis factus à Confessario cum sua Pænitente, & Filia spirituali, & solum est reseruatus respectu viri, seu Confessarij.

D. Peccatum incestus est ne grauius, quo persona, cū qua copula habetur, est magis coniuncta?

℞. Affirmatiue. Vnde cæteris paribus grauius peccatum est incestus cum consanguinea, quam cum affine; & grauius si cōmittatur in primo quam in secundo gradu.

du. & ex hoc dicit Bonacina, hoc peccatum propter suã grauitatem reseruatum est in Diæcesi Mediolan. vsque ad secundum gradum, non solum in consanguinitate, & affinitate, sed etiam in cognatione spirituali. sicut etiã in Diæcesi Bariensi. *Bonac. quæst 4 punct. 16. de Incestu n. 4.*

D. Debet ne explicari in Confessione gradus Incestus?

℞. Affirmatiue. Tũ vt Cõfessarius cognoscat, si est casus reseruatus, vbi primus, & secũdus gradus reseruatur. Tum quia, licet circunstantia aggrauans non sit necessario exprimenda in Confessione, tamen qualitas personæ cum qua commissa est copula, non est circunstantia actus, seu peccati, sed potius illius obiectum, & quid pertinens ad substantiam actus considerati in indiuiduo; nã circustantia proprie dicitur illa, quæ aduenit actui constituto in suo esse; gradus vero non est proprie quid adueniens actui constituto in suo esse; sed est quid constituens actum in suo esse indiuiduali; sicut patet in quantitate furti. *Valent p 4 disp 7 q. 11 punct. 1. Suar. Coninch. Nuñnus quos cit & sequitur Bonac supra n. 6.*

D. Hic congressus Confessarij cum sua Pænitente, seu filia spirituali est ne Incestus?

℞. Bonacina *q. 4 de Incestu punct. 16. n. 7.* Peccatum carnis commissum cum pœnitente extra confessionem nõ habet malitiam incestus necessario explicandam in Cõfessione, quia cum Confessio non inducat cognationem spiritualem, non erit proprie Incestus, sed metaphoricus, & improprius *Sic Azor. Sà cit ab ipso ibi.*

D. Quare dicit *commissum cum Pænitente extra confessionem?*

℞. Quia si Confessarius vtatur sacramẽto tanquã medio ad sollicitandam pænitentem, committit sacrilegium, necessario explicandum in Confessione. vt videbimus

mus n.14.marginali vbi de Constitutione Gregorij XV. erit mentio.

D. Si Confessarius, qui cognoscit carnaliter Pænitentem, sit Parochus, à quo receptus sit Baptismus, committet ne hoc casu incestum?

℞. Bonac. supra n.9. Affirmatiue. Parochus enim vel alius cognoscens fæminam quã baptizauit, cõmittit incestum ratione cognationis spiritualis consurgentis ex collatione Baptismi. & addit idem Bonacina, Parochũ habẽtẽ copulam cũ sua parochiana cõmittere speciale peccatum, etiam si eam non baptizauerit; nã peccat contra proprium officiũ; illi enim specialiter incumbit cura procurandæ salutis suorum parochianorum, & tenetur ex officio oues sibi subiectas bonis moribus imbuere.

D. Quid respondent alij Doctores est; ne Incestus hoc peccatum?

℞. Ioann. Sancius *in Selec. disp.* 11.*n.* 1.*&* 2.*citans multos DD.* Affirmatiue, ex c. omnes 30.q.1. ex Simmaco; & c. si quis sacerdos 30.q.1. ex Cælestino.

℞. Tandem vere. Hoc peccatum habet aliqualem malitiam incestus, & potius sacrilegij. & ideo dicitur quod Confessarius tantum incurrit, quia ille facit irreuerentiam, & iniuriam sacramento administrato. & notat Ioann. Sanc. supra n.6. quod Card. Roxas Archiepis. Tolet. in const. synodal. in casibus reseruatis antiquis reseruationem huius casus à prædecess. Archiepisc. induc. tam innouauit. *Sanc. lib 7. de matrim. disp.* 55. *Reginal t.* 2. *lib.* 31 *n.* 149. *Coninc. de sacram. disp.* 32. *dub.* 2. *n.* 23. *& videtur esse D. Thom.* 2.2 *q.* 154. *art.* 10. *vbi Caiet.*

D. Si Confessarius cognosceret quæ sibi confessa est à quinquaginta annis, incurreret ne in casu reseruatum?

℞. Sancius vbi supra n. 9. Affirmatiue; semper enim durat respectus in confessario nõ sauciandi, quam semel

cura-

curauit *Sanc.supra n.9.& citat.Garziam,& Crass.*

D. Committitur ne reseruatus, si sit tactus in verendis,non autem copula?

℟. Sancius n. 11.Nequaquam,nam copula prohibetur à iuribus supra cit. Ne fiat iniuria sacramento.

D. Si Confessarius cognoscit copula præpostera filiã spiritualem, vel Filium spiritualem incurrit ne reseruatum?

℟. Sancius n. 12. Affirmatiue. & aduertit, quod licet in pænalibus non fiat extensio etiam ex identitate, seu maioritate rationis, id debet intelligi in criminibus diuersi generis,non in eiusdem. & etiam si dictus casus sit pænalis,tamen est fauorabilis Sacramento. *L.Non possunt ff.de legibus.& L.36.tit.fin.part 7.c.ciuitas de sent. excom. in 6. Syluest.& alij apud Sac.n.12.*

D. Qui sunt Casus reseruati sine censura in quarto num.marginali, scilicet?

IV. *Homicidium voluntarium commitentes siue per se, siue per alium; auxilium fauorem, consiliumque præstantes. siue etiam procurantes abortum post fætum animatum effectu licet non secuto. & opprimentes proprios, siue alienos filios.*

℟. Tria hic reseruātur. Primo Homicidium. Secundo. Abortum procurantes. Tertio opprimentes filios vel proprios,vel alienos.

D. Dicas de primo. quare qui committit homicidiũ vel per se, vel per alium, & qui dat auxilium, fauorem, aut consilium eodem crimine innectatur?

℟. Quia fictione iuris mãdans,& mãdatarius; consulens,& consultus eadem persona censentur c. qui per auxilium de regulis Iuris in 6. L. 1. §.Deiecisse ff.de vi, & vi armata,& eadem pæna puniuntur. Hoc autem intelligitur effectu secuto scilicet Homicidio patrato. *Fa-*

 *rinac.*

*rinac.in prax.Criminal 5.par.q.139.& 135.*

D. Quod discrimen est inter mandantem, & consulẽtem, si ambo reuocauerint, & ille mandatum, & hic consilium de homicidio?

℞. Si mandans re integra expressè, & sine vlla fictione mandatum reuocauit, immunis est ab homicidio. Consulens verò non ita, quia si eius consilio motus est quis, vt occideret, homicida est, & irregularis; & si ante effectum secutum reuocauerit. *Sà v. Homicidium n. 11. Siluest. v. Homicid. 1 q. 7*

D. Quomodo intelligitur Homicidium voluntarium in hoc casu reseruato?

℞. Homicidium voluntarium hic sumitur, ac in Iure Canonico sumitur, scilicet quod fit ex proposito, siue quod est per se, & directe intentum; nam si fiat sine animo occidendi, etiam si alioquin fiat talis actio, ex qua vt plurimum sequitur mors, puto tunc appellari casuale; & hoc facit ad dispensationem, quam circa irregularitatẽ homicidij non voluntarij concedere potest Episcopus iuxta Decretum Trid. sess. 14. de reform. c. 7. & sess. 24 c. 6. *Sà. v. Homic. n. 4. Gomez. Filiuc. & alij apud Bonac. disp. 7. de Cens. q. 4. punct. 8. n. 2.*

D. Debet obligari homicida, vel eius heres, si Confessarius habet potestatem illum absoluendi, ad quid?

℞. Debet obligari ad satisfactionem iniuriæ, & dãni. Hæres verò solum ad damnum, quod si homicida per accusationẽ aduersarij morte damnatus sit, adhuc super est restituendi obligatio, si damnum secutum sit. *Sà v. Homicid. n. 18.*

D. Dicas de secundo quãdo dicitur fœtus animatus?

℞. Dicitur fœtus animatus in masculo post quadraginta dies; in fœmina post octuaginta; & si dubitatur an masculus sit, an fœmina; credendum est esse marem, &

ani-

animatum esse post 40. dies, quia in dubio tutior pars est eligenda, & hanc opinionem sequitur Sacra Pænitentiaria vt testatur Nauarr. consil.22.de Homicidio in Antiquis, & in Nouis consil.26. *Nauar. in manu.c.* 15. *n.* 14. *Sà v, Homic. n.*2. *Quarãta in summa Bullar .v. Abortus n.*5.

D. Quare est casus reseruatus effectu non secuto?

℟. Quia si reseruatio esset de abortus procuratione effectu secuto; nullatenus hoc peccatum esset reseruatum, quousque abortus de facto succederet; vnde si ante euentum abortus pæniteres datæ causæ, & ad Confessionem accederes, à quolibet potente á non reseruatis absoluere, absolui posses; post modum verò abortu succedente, peccatum reseruari non potest, quia virtute Sacramenti Pænitentiæ iam deletum est. *Azor. T.* 1. *Inst. mor. lib.*1.*c.*7. *Henriq.lib.*7.*de pænit.c.*5.*n.*5. *Fagund. de* 2.*Eccl. præc.lib.*8.*c.*7.*n.*18. *Palaus tract* 23.*disp vnic.punct.* 15.*n.* 19. *& in simili tradit. Sanch.lib.*9.*de matrim.disp.*45.*n.* 29.

D. Est ne alia pæna imposita a Summis Pontific. Procuranti abortum præter criminis reseruationẽ in Barensi Diæcesi?

℟. Est Sixti V. formidabilis Bulla edita 1588 .29. Octobris Pontif. sui anno 4. contra procurãtes abortum in qua grauissimas pænas statuit siue fætus sit animatus, siue inanimatus secuto abortu. Pænæ verò sunt Primo statutæ contra veros homicidas. Secundo si Clerici sint, vt insuper priuati sint ipso facto priuilegio Clericali, officijs, dignitatibus, & beneficijs Ecclesiasticis, & fiant inhabiles in futurum, & depositi, & degradati tradantur curiæ seculari. Tertio, vt delinquentes, vel fuerint delicti personæ, vel consiliũ dederint, vt sint ipso facto excommunicatæ reseruata absolutione ipsi summo Pontifici etiam in foro conscientiæ excepto mortis articulo &c. Anno verò 1591. Greg. XIIII. 31. Maij Pontif. Anno

Primo edidit aliam Bullam moderatoriam, Primo vt valeat animato fætu. Secundo remanent omnia in Clerico, excepto vt excommunicatio non sit reseruata sed possit absolui à quolibet Cõfessario in foro cõscientiæ tantum. *Bulla Sixti V. æffrenatam Sayr de Censlib. 3. Thesauri c. 35. n. 24 & 25. Quaran. v. Abortus n. 1. & 2. Palaus disp. 3 tract 29 punct. 37. n. 20. Bull. Greg XIV. Sed. Apost.*

D. Dicas de Tertio de opprimente suum, vel alienũ filium, est ne simile hoc, illi quod narratur in Scriptura de meretrice?

℞. Hoc accidit illi meretrici vt 3. Reg. 3. 19. dicitur. *Nocte oppressit eum dormiens*.

D. Est ne casus reseruatus ponere infantẽ in Lecto?

℞. Ne quaqam. quia nõ dicitur *Ponentes in lecto suo infantes* sed *Opprimentes* itaque si ponas in lecto & debitam non adhibes cautionem, vnde opprimas, erit casus reseruatus secuto effectu oppressionis.

D. Qui sunt casus reseruati sine cẽsura in quinto num. marginali, scilicet?

V. *Qui non satisfecerint pijs legatis. & Notarij, qui ea cum primum potuerint, non denuntiauerint illis ad quos spectat maxime Ecclesia*.

℞. Hic vnicus est casus sed duæ personæ illa reseruatione innodantur. Primo omnes qui tenentur satisfacere legatis pijs, & non satisfaciunt cum possint. Secundo Notariorum error in non denunciando debito tempore Ecclesiæ cui relictum est legatum pium.

Hic aduerte nonnulla. Primo legata pia intelliguntur tum quæ relicta sunt viduis, pupillis, pauperibus, vt puellæ collocentur in matrimonio. tum Ecclesiæ alicui, aut hospitali.

Secundo aduerte illud verbum (denunciauerint) intelligendum vel ordinario loci, vel Cõmissario, qui pro fabri-

fabrica Sancti Petri in hac Diæcesi præest.

Tertio aduerte qualiter executio legati pij in testamẽto relicti, possit defuncto exsistẽti in Purgatorio prodesse. Ad hoc. ℞. multi graues PP. virtute illius remitti illi pænam, eo quod non per voluntatem de præsenti, sed per voluntatem, quam habuit in vita, est causa illius; quod videtur sufficiens, vt opus illud nouiter sit satisfactorium, alias grauiter deciperentur relinquẽtes legatum in testamento: relinquunt enim legata, vt illis prosint ad remissionem pænarum; & aliàs etiam executores testamentorum ommittentes executionem, nullam iniuriam defuncto irrogarent, si nullo fructu eum priuant, quod non potest dici; cum expresse eos Concilium Vasense Necatores appellet. & excommunicatione feriendos decernat. *c. qui oblationes* 2. 13 *q.* 2. Ergo asserendum est executionem legatorũ defunctis prodesse, vt citius liberentur à purgatorio, quod non potest fieri nisi satisfactionẽ exhibẽdo qua pæna remittitur. *vt S. Tho. in* 4. *dist.* 45 *q* 2. *art.* 1. *quæstiũcula* 3. *Palud ibi q* 1. *art.* . *concl.* 3 *&* 5. *Bonac art.* 2. *q* 2. *Soto q.* 2. *art* 1. *concl.* 4. *Nauar. de orat. c.* 19. *n.* 50. *& expressius supplem. Gabriel dist.* 45. *q.* 2. *art.* 2 *lic.* 56.

℞. Cum P. Suar. *disp* 48. *sec.* 8 *n* 9. *& Palao vnic. disp. tract.* 24 *punct.* 1. § 4. *n* 8. executionẽ legati pij, vt est effectus voluntatis defuncti, nõ esse satisfatoriã, neq; ob aliam aliquã pænæ debitæ remissionẽ immediate fieri, & si pluribus alijs modis defuncto prosit. Hæc respõsio duas habet partes. Prima pars quod nõ sit satisfactoria. Probatur ea executio nõ procedit à defunctis humano modo, nã eo tempore non potest impediri, ergo nõ potest esse satisfactoria. Probo à pari. Si imperes famulo eleemosinam, & tempore quo illam facit, tu es destitutus sensibus, nullam satisfactionem ex illa obtines, præter eam quam imperando fieri obtinuisti; quia comparatione tui illud

non

non est opus humanum, ac voluntarium. Sic defunctus licet habeat voluntatem & intellectū, tamen in executionem testamenti non influit, sed respectu executionis se habet, ac si dormiret, ergo nullam satisfactionem dare potest executioni 2. Defunctus est extra viam idest extra statum merendi, & satisfaciendi sibi, & alteri; si autem ea executio esset satisfactoria, vt imperata á defuncto, verum esset dicere posse defunctum satisfacere, & mereri, cum conditiones requisitæ ad satisfactionem, requirātur, ad meritum. Hic Nota condentes testamentum debere esse in gratia, cum ea legata relinquuntur, nam tota satisfactio, & meritum perficitur in legatione; quod si fuerint in peccato tempore legationis, postea sublato peccato per pænitentiam confirmet legata, vt meritum, & satisfactionem habeant.

Secunda pars quod multis alijs modis defuncto executio legatorum piorum prosit. Probatur. Primo si executor ipse applicet defuncto. Secundo, vt executio est effectus voluntatis defuncti, Deus potest moueri tum ad excitandos fideles vt pro defuncto satisfactionem aliquam exhibeant; tum ad concessioné alicuius gaudij, & consolationis; Tum ad minuendum tempus pænarū, licet fiat pæna intensior. Tertio ex illa executione excitantur recipientes legata ad fundendas orationes pro defunctis, & ad applicandas nouas satisfactiones. Et ideo Concilium Vasense appellat negligentes executores Necatores. Et D. Thom. & alij DD. de mediata remissione, non de immediata, & vt est effectus voluntatis defuncti.

In §. 6. *Incendiarij ante denunciationem, & qui damni, iniuriaque causa vites, vel arbores alienas inciderint, vel animalia ad vindictam occiderint.*

Hic tria reseruantur Primo incendiarij crimen, & aduerte doctrinā *Toleti lib. 1. c. 17. n. 13. §. Tertius casus, &c.*

Ter-

Tertius casus est in Incendiario, quē Ordinarius excō-municare potest, sed post denuntiationem absoluere non potest, sed solus Papa vt habetur cap. Tua. de sententia excommunicationis. Nota autem Incendiarium Ecclesiarum, vel loci Religiosi esse ipso iure excommunicatum. Alij verò incendiarij non sunt ipso iure excommunicati, sed excommunicandi per sententiam, & tam primi, quàm secundi post publicationem non possunt absolui nisi per Papam nunc, antea vero poterat Ordinarius, vt habet Abbas in dicto cap. Tua r. 2. *cap. in litteris & ibi Glos. de raptoribus & incendiarijs & Glos. in cap. cum deuotiss. vers. si verò. 12 q. 2.*

Secundo. Reseruantur Incisores arborum, vel vitium, & hoc intellige. Primo vt sint viui arbores, vitæ vires non mortuæ, & aridæ. Secundo vt fit ad iniuriam & dānum, non qui necessitatis causa facit ligna ad comburendum, & se calefaciendum.

Tertio Occisores animalium ad vindictam reseruantur. Petes quid si vulnerauerint, & fecerint ad inseruiēdum inhabilia? ℞. Certum esse idem facere qui occidit, ac qui reddit inhabile, ego dicerem illum incurrere quia tamen in pœnalibus non fit extensio in criminibus diuersi generis, puto non incurrere, quia nulla de vulnerante in hoc § fit mentio.

In §. *Septimo. Clerici cuiusuis ordinis, vel dignitatis habentes in confidentia bona stabilia, vel mobilia laicorum in præiudicium vniuersitatum, vel laicorum.*

Hic clara sunt omnia, tantum aduerte ly *cuiusuis ordinis*, dicere & primæ tonsuræ, & minorum, & maiorum ordinum Clericos: Nam prima tonsura est ordo clericalis, & sic per Canones sunt octo Ordines. *C. cum contingat. De ætate & qualitate & ordine præficiendorum.*

In §. *Octauo. Debitores Ecclesiarum, Cappellarum,*

*Monasteriorum, Monialium, Piorum locorum, & Census Ecclesiasticorum si infra mensem postquam primo fuerint requisiti ad soluendas duas annatas decursas reditus, siue Census locis praedictis & personis non soluerint.* Hic aduerte, quod est necessariũ, vt sint decursæ duæ annatæ, & sit trãsactus mensis à prima requisitione solutionis.

In §. *Nono. Pueros verò, & puellas ante annos quatuordecim completos hisce nostris casibus, & censuris, non intendimus includere.*

In hoc §. eximuntur Pueri, & Puellæ ante completum annum decimum quartum; eximuntur autem non quod non peccent, sed quidquid sit de peccato, vult r respectu Puerorum, & Puellarum nõ esse reseruatos istos casus, & censuras ante completum 14. annum; postea verò incipere reseruationem. Certum enim est Pueros, ac Puellas, cum ad vsum rationis peruenerint, quod communiter septennio completo solet accidere, teneri omnibus Ecclesiæ legibus, præter Ieiunii, & Eucharistiæ legem. *Sic Sanchez lib. 1. summ. c. 12 n. 6. concl. 4. cum Soto, Nauarr. Henriquez, Suar. Azor. Valentia cit. apud ipsum.*

Et licet verum sit pueros qui duodecimum annũ non sunt nacti, omittentes annuam confessionem non esse plectendos pænis statutis in cap. omnis vtriusque sexus. de pænitentia, vt scilicet arceãtur ab Ecclesiæ ingressu, & Ecclesiastica sepultura careant, nec esse excommunicandos; quia cum alii tardius, alii citius rationis vsum attingant, noluit Pia Mater Ecclesia eos censuris ad sua præcepta seruanda cogere vsque ad eam ætatem. quod colligitur ex cap. 1. de delictis Puerorum. *Sic tenent præcit. DD. apud Sanchez loc. cit. n 7.* Notat tamen Sanchez n. 8. id non esse accipiendum vniuersaliter. Nam si puer doli capax Clericum percutiat, incurret Excommunicationẽ vt constat, ex cap. Pueris, & Glos. ver. Pue-

ris

tis. de ſententia Excommunicationis, *Tradunt Henriq. lib. 8. de Euchar. c. 42. & Azor. lib. 7. c. 41. q. 10. alijs relatis.* & ſi puer doli capax alium occidat, erit irregularis. vt colligitur à contrario ſenſu. ex Clement. Si furioſus. de Homicidio. Sic cum aliis docet Sylueſt. v. Homicid. 3, q. 1. dicto. 5. & q. 2. dicto. 3. Et ſi ſit interdictum ſacris populo, comprehenduntur etiam pueri doli capaces. *Ita Syluest. v. interdictũ. 2. n. 18. Corduba in ſumm. q. 60. dicto 3.*

Itaque in illa exéptione poſſunt eximi pueri, & puellæ vſq; ad 14. annũ à Cẽſuris, & á reſeruatione; á peccato autẽ, ſi ſunt doli capaces, nõ mihi videtur Facta exemptio.

In §. Decimo. *Declarantes, quod exceptis his caſibus & excommunicationibus, vt ſupra nobis reſeruatis. Eſt etiam reſeruata ſentẽtia excommunicationis ob manus violentas in Clericum ſuadente Diabolo iniectas iuxta iuris diſpoſitionem nobis reſeruata. & Duellum committentes, vel Prouocantes iuxta Bullam Clementis VIII.*

Hic reſeruat ſibi duas Excommunicationes. prima eſt percuſſio Clericorum, & quidem leuis percuſſio, nam grauis eſt reſeruata Papæ. *Colligunt. Panorm. & commun. DD ex cap. Peruenit de ſenten. excomm. & ex Extrauag. Ioa. 22. quæ incipit Perlectis.*

℞. Potest in articulo mortis, & præsertim Baptismū, & Pænitentiam.

D. An Minister sciens se esse in peccato mortali,& nō habere contritionem, & tamen adhibens omnia necessaria ad aliquod sacramētum, valide perficiat ipsum sacramentum?

℞. Valide perficit; quia existere in gratia non est ne-

cessa-

cessarium ad validitatem sacramenti.

D. Quot sunt necessaria ad validitatem sacramenti?

℞. quatuor scilicet materia, Forma, minister, & huius intentio conficiendi sacramentum.

D. Quid, & Quotuplex est intentio?

℞. Quid? est actus voluntatis circa finem. Quotuplex? Triplex est Actualis, Virtualis, & Habitualis. Sed ad conficiendum sacramentum necessaria est Intẽtio vel Actualis, vel Virtualis faciendi, quod facit Ecclesia. Habitualis autẽ, quæ manet etiam in dormiẽte, & in Amẽte, non sufficit.

D. Quis est capax sacramentorum?

℞. Solus Homo viator, qui nõ dum peruenit ad æternitatem. Non sunt capaces Angeli, nec Beati. Non Angeli, quia sunt creaturæ spirituales, quibus non competunt sacramenta nostra, quæ consistunt in rebus materialibus, & sensibilibus. Non Beati, quia iam peruenerunt.

D. Qualis debet esse susceptor sacramentorum?

℞. Debet esse præditus vsu rationis. non tamen in susceptione Baptismi, cum Infantes baptizentur. Debet etiam habere saltem virtualem intentionem suscipiendi sacramenta. & debet esse sine peccato, sine censura, sine fictione. & si fieri potest præmunitus deuotione, oratione, & ieiunio.

D. An sacramenta cum fictione, idest, sine conueniẽti dispositione suscipiẽtis accepta conferant gratiam, postquam fictio recessit?

℞. Omnia sacramenta (excepto sacramento Pænitentiæ) cum fictione accepta, recedente fictione conferunt gratiam, dummodo seruentur substantialia ipsorum sacramentorum. & aduerte. quod Eucharistia, postquã fictio sublata est, gratiam confert, nisi species, seu accidentia ipsius consumpta fuerint. & extrema vnctio sublata

blata fictione, dummodo eadem infirmitas duret. & matrimonium confert gratiam ablata fictione, dummodo coniuges ambo maneant in vita. Nulla etiam difficultas est de sacramentis Characterem imprimentibus Baptismo, Confirmatione, & Ordine, quia in sua manent virtute.

D. An quis, vt validè suscipiat sacramenta tenetur petere á ministro?

℞. Tenetur petere explicitè sacramentum Pænitentiæ, cum actus pænitentis sint pars huius sacramenti. Alia tenetur petere implicite; tunc autem censetur petere implicitè, si solitus sit viuere Catholicé, & ideo morienti debet administrari sacramentum Extremæ vnctionis, nisi certo sciatur amisisse vsum rationis in actu peccandi; si enim hoc esset, censeretur mortuus in peccato mortali. Et nota, regulariter non petendum à ministris, vt ministrent sacramenta, si aliqua censura, aut irregularitate sint ministri maculati; quia præter alia inconuenientia, ipsi petentes inducerent ad peccandum.

D. An sit licitum petere sacramenta à sacerdote publicè Concubinario, & an liceat audire illius Missam?

℞. Suar. q. 65. art. 9. disp. 18. sec. 1. Hoc fuisse antiquitus prohibitum; nunc hæc prohibito sublata est ex vi Decreti Constantiensis. sic etiam dicit Valentia.

D. An quis cognoscens aliquem ministrum Concubinarium sedentem ad Confessiones audiendas, possit ipsum in Confessarium eligere relictis alijs bonis Confessariis.

℞. Maxime, si doctior sit alijs; modo non sit publicus peccator, vt præsentes scandalizentur. ita Sotus in 4 dist. 1. q. 5. art. 6.

D, An ille, qui in articulo mortis cõfitetur nõ Parocho, si superueniat proprius Parochus teneatur relinque-

# DE PRIMA TONSVRA
## Diſpoſitione ad Ordines.

D. Quid eſt prima Tonſura?

℞. Prima Tonſura non eſt Ordo propriè dictus; nec dicitur propriè character; ſed. eſt diſpoſitio ad ordines ſuſcipiendos, & diſtinguit Clericos à ſecularibus laicis.

D. Quis primam Tonſuram habuit,& in quo cõſiſtit?

℞. Primus habuit Sanctus Petrus Apoſtolus. Conſiſtit in quodam circulo poſito in vertice capitis per amputationem capillorum ad imitationem Coronæ ſpineæ Domini.

D. An initiandus prima Tonſura debeat eſſe confirmatus ſacramento confirmationis?

℞. Maximè non neceſsitate eiuſdem Tõſuræ ſed neceſsitate præcepti.

D. Quomodo confertur hæc Tonſura ab Epiſcopo?

℞. Cõfertur abſcindẽdo Capillos illius initiandi, & Epiſcopo dicente in perſona initiandi, *Dominus pars hereditatis meæ. &c.* Ex Pſal. 15.

D. Hæc verba ſunt de eſſentia Tonſuræ?

℞. Non. & ideo ſine ipſis valida eſſet; quia cum non ſit ordo, non habet materiam,& formam.

D. Quando Monialibus præciduntur capilli, illa præciſio poteſt ne vocari tonſura?

℞. Ne quaquam. Quia non fit ab Epiſcopo, nec cum illius benedictione, ſed fit ab Abbatiſſa ad oſtendendum contemptum ſecularium ſine vllo reſpectu ad ordines ſuſcipiendos.

D. Quis capax eſt primæ Tonſuræ.

℞. Solus homo maſculus baptizatus, & confirmatus

de quo Episcopus debet habere fidem certam. Infidelis,& femina non sunt capaces Tonsuræ.

D. Que Priuilegia Ecclesiastica habent initiati prima Tonsura?

℟. Quatuor 1. sũt subditi iudici Ecclesiastico soli 2. sũt immunes à gabellis, à talijs, & à pedagijs. 3. gaudent priuilegio Canonis *si quis suadente Diabolo &c.* 4. sunt capaces beneficiorum Ecclesiasticorum.

D. Ad hoc vt gaudeant dictis priuilegijs, quid debẽt habere, & quid facere Clerici quicunque etiam initiati solum Tonsura?

℟. Initiati Tonsura,& minoribus Ordinibus, gaudent si habuerint beneficium Ecclesiasticum, aut deferãt habitum Clericalem, & Tonsuram, & inseruiant alicui Ecclesiæ, ex mandato Episcopi. *Trid. sess. 23. cap. 6. de reformatione*. Vel sint in seminario Clericorum, aut in aliqua scola vel vniuersitate de licentia Episcopi in via ad maiores ordines. si verò sint Clerici coniugati vult Concilium ibidem ex constit. Bonifatij VIII. vt sint coniugati cum vnica,& Virgine, modo sint deputati ab Episcopo seruitio alicuius Ecclesiæ, & ibi in Clericali habitu, & Tonsura ministrent.

D. An habens solum Tonsuram incurrat Irregularitatem, si faciat aliquid sui officii existens in maiori excommunicatione?

℟. Non incurrit irregularitatẽ. quia Tonsura non habet vllum officium Ecclesiasticum annexũ sollemniter exercendum.

D. An irregularis accedens ad Tonsuram, & illã sic recipiens peccet mortaliter?

℟. Maximè, quia irregularitas est impedimentum nõ solum ad suscipiendos ordines, sed etiam ad recipiendã dispositionem ad ordines, vt est Tonsura.

D. An

D. An suscipiens Tonsuram vel Ordines Minores animo nō ministrandi, sed tātum vtendi priuilegijs Clericorum committat peccatum mortale?

℞. Committit tantum veniale, quia Concilium Tridentinum id non præcipit, sed indicat quid decentia illius status requirat. sed si vellet ordinari ad finem peccandi mortaliter tunc peccaret mortaliter.

D. Quæ ætas requiritur in prima Tōsura, & quā pænā incurrit dans Tonsuram ante illam ætatem?

℞. Requiritur ætas septem annorum. Et Episcopus ordinans ante illam ætatem septem annorum completā, esset per annum suspensus á collatione primæ Tonsuræ.

D. Quæ sunt scienda a suscipiente primam Tonsurā?

℞. Sunt scienda prima fidei rudimenta, legere, & scribere, & decet habere animum seruiendi in Ecclesia.

D. Quis potest conferre primam Tonsuram?

℞. Episcopus, & Abbates mitrati respectu suorū subditorum. alij verò, ex priuilegio vel Papæ cōmissione.

D. Vbi, & quando quis potest initiari Tonsura?

℞. In omni loco, & in omni tempore. sed ordinariè in quatuor temporibus anni, quando conferuntur ordines. Et aduerte posse Episcopos conferre Tonsuram extra Diæcesim, & extra Ecclesiam sine licentia alicuius. non posse autem conferre ordines, nec minores, nec maiores.

D. Quis est habitus Clerici Tonsuram habentis?

℞. Vestis talaris nigri coloris cum bireto Crucem habente, & super pellicio albo, & mundo, quo ab Episcopo in collatione Tonsuræ induitur.

D. An qui suscipit ordines sine Tonsura sit propriè ordinatus?

℞. Maximè, sed remanet suspensus vsque ad beneplacitum Episcopi; & si hoc fecit malitiosè mortaliter

peccauit; quia Tonſura eſt neceſſaria ad recipiendos ordines neceſſitate præcepti, non ſacramenti. ſic qui initiaretur ordine lectoratus abſque ordine oſtiariatus eſſet ordinatus, ſed remaneret ſuſpenſus vſque ad beneplacitum Epiſcopi.

D. An ſupradictus qui eſt ordinatus ſine Tonſura validè, vt diximus, poſtea teneatur ipſam Tonſuram ſuſcipere?

℟. Nequaquam. quia per actum conferentis miniſtri primum ordinem ſufficienter eſt diſpoſitus ad eundem, & ad alios ordines.

## Ante quam ad Ordines Minores deſcendamus, breuiter perſtringamus non nulla de Ordine in Generali.

D. Quid eſt Ordo, vt eſt ſacramentum?

℟. Eſt ſignum quoddam ſenſibile, in quo ſpiritualis poteſtas traditur ordinato.

D. Quot ſunt Ordines?

℟. Septem. quorum quattuor ſunt Minores, & ſunt Oſtiariatus, Lectoratus, Exorciſtatus, Acolytatus. & tres ſunt Maiores, Subdiaconatus, Diaconatus, & Preſbyteratus. hi dicuntur Maiores, quia propius accedunt ad Miniſterium Altaris; & tenentur his initiati ſeruare ſolemne votum Caſtitatis, & recitare Officium Diuinũ.

D. Quæ ſunt de ſubſtantia Sacramenti Ordinis?

℟. Sex 1. Poteſtas ordinãtis, qui debet eſſe Epiſcopus. 2. Materia & Tactus illius. 3. Forma verborum. 4 Sexus virilis. 5. debita Intentio ſcilicet vt Epiſcopus intendat conferre, & Clericus ſuſcipere Ordines. 6. vt ordinandus ſit Baptizatus. Baptiſmus enim eſt Ianua Sacramẽtorum.

Nunc

Nunc videndum de Ordinibus Minoribus Quatuor, & Primo.

# DE OSTIARIATV.

D. Quid est Ostiariatus, & quando à Christo Domino institutus?

℞. Ostiariatus est potestas, per quam potest sic ordinatus recipere dignos, & excludere indignos ob Ecclesia. Indigni sunt Apostatæ, Heretici, Excommunicati, interdicti, Infideles, & Catechumeni post cantatum, siue lectum Euangelium. Institutus est à Christo quando eiecit de templo vendentes, & ementes Matth. 21.

D. Quæ est materia remota, & quæ materia proxima Ostiariatus?

℞. Remota sunt claues Ecclesiæ; Proxima, est traditio clauium, quæ ab Episcopo per Archidiaconum seruientem Episcopo traduntur Ordinando, qui debet illas tangere, dum traduntur.

D. Quæ est Forma? quis effectus? & quis Minister Ostiariatus?

℞. Forma, sunt verba Episcopi. Effectus, est gratia, & Character; Minister, est Episcopus, vel Abbas mytratus respectu suorum subditorum, vel Alter ex commissione summi Pontificis.

D. Quod est officium Ostiarij?

℞. Est conseruare claues Ecclesiæ; aperire, & claudere eius ianuas, excludere illos indignos, vt dictum est, pulsare Campanas, custodire ea, quæ reperiuntur intra Ecclesiam; & aperire librum ei, qui prædicat.

D. Vbi, & Quando conferri potest Ostiariatus, & alij Ordines minores?

℞. Vbi? in qualibet Episcopatus Ecclesia; sed non

extra

extra Diæcesim sine licentia illius Episcopi. Quando? Diebus Festis; Fer. 4. quattuor Temporum mane. etiam extra Missarum sollemnia. Non tamen in die Natiuitatis Domini, nisi venerit in Dominica. Ita Abb.c. subd. de Tempore Ordinat.

D. An Ordinandus ordine Ostiariatus debeat habere primam Tonsuram, & Confirmationem de necessitate Sacramenti?

℞. Debet esse Tonsuratus, & Confirmatus non necessitate sacramenti, sed Præcepti.

D. Quæ Ætas, & quæ scientia requiritur in ordinando Ordine Ostiariatus?

℞. Ætas debet esse saltem septem annorum. Scientia: Debet esse instructus rudimentis Fidei Christianæ, & saltem linguæ latinæ intelligens, idest, si per omnes regulas Gramaticæ fecerit compositiones.

D. Quomodo debet accedere Ordinandus ad Ordinem Ostiariatus, & ad alios Minores?

℞. Debet habere vestem talarem nigri coloris, Biretum. superpelliceum album, Tonsuram patentem de quantitate vnius particulæ. Candelam offerendam, & sufficientem præparationem ad SS. Communionem.

## SECVNDO DE LECTORATV.

D. Quid est? & quando institutus à Christo Domino hic Ordo Lectoratus?

℞. Est potestas per quam sic ordinatus potest legere, Lectiones, & Prophetias scienter, clare, & distinctè in Ecclesia. est institutus quando Christus aperuit librum Prophetiæ Isaiæ, & completa lectione clausit librum, & dedit ministro Luc. 4.

D. Que est materia remota, quæ Proxima, & quæ for-

ſorma Lectoratus?

℞. Materia remota, eſt liber lectionum, Prophetiarũ. Proxima, eſt traditio libri ab Epiſcopo ordinante, quem ordinandus debet tangere in traditione. Forma ſunt verba prolata ab Epiſcopo. quando tradit Ordinando librum.

D. Quis effectus, & quod Officium lectoratus?

℞. Effectus duplex eſt Gratia, & Character, Officium ipſius eſt legere populo in Eccleſia lectiones veteris, & noui Teſtamenti, & docere Catechumenos rudimenta Fidei Chriſtianæ.

D. Quomodo accedere debet ordinandus ad lectoratum?

℞. Eodem modo quomodo ordinadus ad Oſtiariatum. ſcilicet cum veſte nigra talari, Bireto, ſuperpelliceo, Tonſura, Candela, & præparatus ad Communionem.

D. Qualis debet accedere? & qua ſcientia, & ætate?

℞. Inſignitus Confirmatione, Prima Tonſura, & Oſtiariatu, cum ſcientia, inſtructus Fidei rudimentis; linguæ latinæ intelligens; aſcriptus ſeruitio alicuius Eccleſiæ; & cum ætate ſaltem ſeptem annorum completorum.

## TERTIO DE EXORCISTATV.

D. Quid eſt Exorciſtatus? & quãdo inſtitutus à Chriſto Domino?

℞. Eſt poteſtas per quam ſic ordinatus poteſt expellere diabolum, ne impediat aliquem á ſumptione Euchariſtiæ. Inſtitutus fuit á Chriſto, quando toties eiecit à corporibus obſeſſis dæmonia.

D. Quæ materia remota, & quæ proxima; & quæ forma?

℞. Remota, eſt liber Exorciſmorum. Proxima, eſt traditio

ditio eiusdem libri, qui debet tangi ab ordinando, quando dicitur ab ordinante Forma. Hæc autem Forma, sunt verba ab Episcopo ordinante prolata.

D. Quis est effectus Ordinis Exorcistatus? & quod officium Exorcistæ?

℞. Effectus duplex est Gratia, & Character. Officium eius est imponere manus super vexatos à spritibus immundis; & exercere Catechumenos.

D. Quomodo, & Qualis dabet accedere ordinādus?

℞. Eodem modo quomodo, & qualis debet accedere ordinandus ad Ostiariatum, & ad lectoratum.

D. An Exorcista statim postquā est ordinatus, potest imponere manus, & dæmones adiurare?

℞. Nequaquam. Sed debet habere potestatem iurisdictionis, cum solum habeat potestatem ordinis. Nunc soli sacerdotes hoc faciunt, & illis solis committitur.

## QVARTO DE ACOLYTATV.

D. Quid est Acolytatus? & quādo institutus á Christo Domino.

℞. Est potestas, per quam sic ordinatus potest portare candelabrum cum candela, & vrceolos. Institutus fuit à Christo, quando dixit Ego sum lux mundi. Ioa. 8.

D. Quæ est materia remota, & quæ proxima? & quæ Forma. & quis effectus Acolytatus?

℞. Matetia remota. sunt vrceoli vacui, & candelabrū cum candela extincta. Proxima, est traditio Candelabri, & vrceolorum quæ debent tangi ab Acolyto, dum profertur ab ordinante Forma, Hæc autem Forma sunt verba pro lata ab Episcopo, dum traditur materia. Effectus Acolytatus sunt duo Gratia, & Character.

D. Quod est officium Acolyti?

℞. Est

℞. Eſt præparare ampullas, ſeu vrceolos vini, & aquæ ad ſacrificium miſſæ, & porrigere ſubdiacono. & ferre cereos ad idem ſacrificium.

D. Quomodo, & qualis debet accedere ordinandus Acolytus?

℞. Quomodo accedunt ordinandi ad alios minores ordines. qualis verò, dico. quod debet Confirmatus, Prima Tonſura, Oſtiariatu, Lectoratu, & Exorciſtatu inſignitus. Rudimentis Fidei inſtructus, & linguæ latinæ intelligens, cum ætate ſaltem duodecim annorum, & ſeruitio alicuius Eccleſiæ aſcriptus.

D. In quo actu imprimitur Character in ordinibus minoribus?

℞. Aliquorum Ordinum eſt tantum vnus actus, aliquorum autem plures actus. ſed de his vnus eſt principalior. v. g. In ordinibus quorum eſt vnus actus Character imprimitur in traditione illius inſtrumenti. Sic in Oſtiario Character imprimitur in traditione clauium. Lectori in traditone libri continentis ſacras lectiones. Exorciſtæ in datione libri exorciſmorum. in ordinibus autē quorum plures ſunt actus imprimitur Character in traditione inſtrumenti pertinentis ad actū principaliorem; ille eſt principalior, quo ordinatus immediatè ordinatur ad Euchariſtiam. Sic Acolytus habet duplicem actum & porrigere ſubdiacono vrceolos cum vino, & aqua, & portare candelabrum. ille primus eſt principalior, ideo Character imprimitur in traditione vrceoli; quamuis à ſecūdo actu denominetur Ceroferarius, quia eſt magis apparens.

## De Ordinibus Maioribus.

### De Subdiaconatu, Primo Ordine Sacro.

D. Quid est Subdiaconatus? & quando institutus à Christo Domino?

℞. Subdiaconatus sic dictus, quia Diacono inseruit, & stat sub ipso; est potestas per quam sic ordinatus potest portare Calicem ad Altare, & præparare necessaria ad Eucharistiã. Institutus fuit à Christo, quando linteo se præcinxit, & lauit pedes Discipulorum. Ioann. 13.

D. Quæ est materia remota, & quæ proxima subdiaconatus?

℞. Materia remota est Calix vacuus cum patena vacua superposita, & liber Epistolarum, quæ sunt duæ materiæ partiales, & simul faciunt vnam totalem, & perfectam. materia proxima est traditio ipsius libri Epistolarum, & Calicis cum patena; quæ debet ordinandus tãgere, dum traduntur.

D. Calix, & Patena, quæ Ordinando porriguntur, debent ne esse consecrata?

℞. Debent esse consecrata solum necessitate præcepti ex vsu Ecclesiæ, non necessitate Sacramenti. nã Christus Dominus in communi vase instituit. ita Filliuccius.

D. Quæ est Forma, & quis effectus Ordinis Subdiaconatus?

D. Forma sunt verba prolata ab Episcopo, dum porrigit & missale, & Calicem cum Patena. Effectus sunt duo. Gratia, & Character.

℞. Quando imprimitur Charact er in subdiaconatu.

D. Character imprimitur in traditione Calicis vacui, & Patenæ; quia hic actus est principalior, & Sacramento Eucharistiæ immediatior. in traditione libri Epistolarum

tum Character datus extenditur,& perficitur.

D. Confertur ne Ordo Subdiaconatus, si Episcopus porrigit solum Calicem cum Patena,& non librum Epistolarum. vel si solum librum Epistolarum tradat,& non Calicem cum Patena?

℞. Si porrigit Ordinando, vt tangat solum Calicem cum Patena, & non librum, confertur Ordo. Verum si porrigit librum,& non Calicem,non confertur. Ratio. quia Ordo confertur per tactum sacrorum vasuum. ita Henriquez.

D. Si Porrigit Calicẽ sine patena cõfertur ne Ordo?

℞. Maxime.quia Calix dicit relationem ad Patenã.

D. Quis est Minister ordinans subdiaconum.& quod est officium subdiaconi?

℞. Minister ordinans est Episcopus respectu suorum subditorum,& etiam non subditorum,modo habeant licentiam competentem, & litteras dimissoriales. Officium subdiaconi est immediatè subordinari Diacono ad sacrificium missæ: Calicem, & Patenam illi tradere. vrceoleum cũ aqua præbere, Epistolam sollemniter cantare. Et vt indicat Mag. sententiarum lib. 4. dist. 22. abluere pallas, Corporalia,& Purificatoria.

D. Quæ sunt principaliora, quæ requirũtur in eo qui ordinandus est ad subdiaconatum?

℞. Septem. 1. est quod minoribus ordinibus sit rite ordinatus. 2. Ætas legitima. 3. Vitæ bonitas cognita ab Episcopo Ordinante. 4. Titulus sufficiens ad vitæ sustentationem. 5. vt seruet interstitia. 6. scientia conueniens. 7. vt sit liber à censuris,& ab omni alio impedimẽto.

D. Responde nunc ad singula, Primo ad Primum. An incurrat aliquam pænam ille,qui omissis Minoribus Ordinibus ordinatur ad subdiaconatum?

℞. Hic validé ordinaretur. sed quia est ordinatus

per ſaltum incurrit ſuſpenſionem ab executione ordinis ſuſcepti, etiam ante ſententiam, ſi ordinaretur hoc modo ſcienter, vel ignoranter craſſa, & culpabili ignorantia.

D. Reſponde ad 2. quæ ætas requiritur ad ſubdiaconatum?

℞. Requiritur ætas 21. annorum completorũ, ita vt 22. ſit inceptus. ſi autem ante hanc ætatẽ eſſet ordinatus, eſſet ipſo facto ſuſpenſus.

D. An qui ordinatus eſſet ante ætatem legitimam, & ſuſpẽſus, poſſit ſine abſolutione á tali ſuſpẽſione ſe exercere in eodem ordine ſubdiaconatus poſt aduentum ætatis legitimæ?

℞. Nequaquam. quia illa ſuſpenſio illimitatè impoſita eſt. & ſi Epiſcopus, cui reſeruata eſt, abſolueret à ſuſpenſione ante legitimam ætatem, ille abſolutus ante legitimam ætatem, non poſſet vti ordine ſuſcepto ſine Papæ diſpenſatione. Duo tamen faceret illa abſolutio Epiſcopi ante ætatem. 1. ſi ſubdiaconus ſe exerceret in officio ſubdiaconatus, licet peccaret, non tamen fieret irregularis. 2. quod completa ætate poſſet ſe exercere in ordine ſubdiaconatus ſine diſpenſatione.

D. Reſponde ad 3. de vitæ bonitate nota ordinanti Epiſcopo?

℞. Iuxta Concil. Trid. ſeſſ. 23. c. 13. debet habere bonũ teſtimoniũ ideſt bonæ famæ exiſtimationẽ, qua quis putatur bonus, & idoneus ad aliquod bonum per agendum.

D. Reſponde ad 4. de titulo ſufficienti ad ſuſtentationem?

℞. Triplex eſt Titulus, vel paupertatis, ad quem ordinantur Religioſi. vel Beneficij perpetui. vel Patrimonij pacificè poſſeſſi. & hoc, ne ordinatus in-

ſa-

facris cogatur mendicare, aut fordidum quæſtum facere.

D. Reſponde ad 5. de Interſtitio ſeruando?

℞. Seruandum eſt, vt poſt annum à ſuſceptione Acolytatus ſuſcipiatur ſubdiaconatus; niſi neceſſitas aut vtilitas Eccleſiæ aliud poſcat iudicio Epiſcopi. Trid. ſeſſ. 23. c. 11.

D. quæ eſt vtilitas, & quæ neceſſitas Eccleſiæ; & quando debet ſumi diſiunctiuè, quando copulatiuè?

℞. Vtilitas eſt, quando eſſet promouendus vir valdè exemplaris vitæ, vel ſummæ doctrinæ; aut ita nobilis, & potens vt poſſit defendere Eccleſiam ab aliquo inimico oppreſſam. Neceſſitas eſſet ſi in Diæceſi eſſet penuria ſacerdotum. ſufficit diſiunctiuè vna ex his cauſis, quando diſpenſandus eſt ab vltimo ordine minori ſcilicet ab Acolytatu ad ſubdiaconatum. Sed à Diaconatu ad ſacerdotium requiritur vtilitas, & neceſſitas coniunctim. & copulatiuè. vt patet in particula *aut*, *& ac*, in Trident. ſeſſ. 23. c. 11. & ſeſſ. 23. cap 14. ita Vulpis in Praxi, c. 7. n. 7.

D. Reſponde ad 6. de ſcientia quæ requiritur?

℞. Scire debet linguam latinam. Cenſuras, & Irregularitattes ſaltem quo ad caſus communiores, & ea quæ ad officium ſuum ſpectant.

D. Indica nunc mihi. quid eſt cenſura, & quotuplex?

℞. Cenſura eſt pæna ſpiritualis, & medicinalis priuãs. vſu aliquorum bonorum ſpiritualium | impoſita á poteſtate Eccleſiaſtica. Quotuplex ſit? eſt triplex ſcilicet excommunicatio, ſuſpenſio, & Interdictum. Suar. diſp. 1. ſect. 1. n. 5.

D. Irregularitas quid eſt? quia non numeraſti inter cenſuras?

℞. Irregularitas non eſt cenſura ſed canonicum impedi-

pedimentum, & eget dispensatione non absolutione, vt censura, nec est medicinale, sed punitiuum; & ex se perpetuum non amouibile. est igitur impedimentum impediens directè, & primario receptionem, & exercitium ordinum Ecclesiasticorum; ita vt irregularis nō possit de nouo ordines recipere, nec vti receptis.

D. Quid est excommunicatio, & quotuplex?

℞. Excommunicatio est censura Ecclesiastica, qua homo Christianus priuatur bonis communibus Fideliū 1. externa conuersatione in colloquio. & conuictu. 2. participatione sacramentorum actiuè, & passiuè. 3. oratione, & suffragijs Ecclesiæ militantis, & hic sepultura Ecclesiastica. Quotuplex sit? duplex est maior, & minor, maior fundatur in peccato mortali, & priuat supradictis bonis, minor fundatur in peccato veniali, & priuat sola participatione passiua sacramentorum.

D. Quam pœnam incurrunt ordinati maiori, siue minori ordine, si exerceant aliquem actum sui Ordinis solemniter dum sunt Excommunicati?

℞. Incurrunt Irregularitatem si exercent actum sui ordinis cum maiori exommunicatione. non verò si cum minori.

D. Quid est suspensio, & quis suspendi potest?

℞. Suspensio est censura Ecclesiastica, qua Clericus vsu Officij, & Beneficij Ecclesiastici priuatur. & si contra faciat irregularitatem incurrit exercendo sollemniter sui ordinis actum. & solum Ecclesiastica persona potest suspensione puniri.

D. Quid est Interdictum, & Quotuplex?

℞. Interdictum est Censura Ecclesiastica, qua prohibentur diuina Officia, sacramenta, sepultura Ecclesiastica Actiuè, & Passiuè. quotuplex sit? Triplex est personale, locale, & mixtum.

D. Quæ-

D. Quænam est maior censura Excommunicatio, an Interdictum?

℞. Excommunicatio maior est intensiuè, quia comprehendit personas singulares delinquentes. Interdictum est maior extensiuè, quia comprehendit communitatem, & innocentes & sic communitas non excommunicatur, sed interdicitur.

D. Responde ad 7. vt sit liber à Censuris, &c.

℞. Qui accedit ad recipiendum ordinem subdiaconatus, vel alijs ex maioribus, debet esse liber à Censuris enumeratis, & si exercet actum sui ordinis excommunicatus excommunicatione maiori fit irregularis.

D. Ad quid tenetur ordinatus subdiaconatu, & ordinibus sacris in perpetuum, vel semel? & ad quid tenetur minoribus ordinibus initiatus?

℞. Tenentur semper sub præcepto recitare diuinum officium, & seruare solemne votum Castitatis, & deferre habitum Clericalem, & Tonsuram vt diximus. semel verò peracta ordinatione Subdiaconus, & Diaconus tenentur recitare Nocturnum Officii diuini illius diei. Ordinati verò minoribus ordinibus, & Tonsura tenentur semel recitare septem Psalmos Pænitentiales cum littanijs, precibus, & orationibus post ipsos Psalmos. & qui ordinatus est Præsbyter post primam missam debet dicere tres missas tribus diebus. 1. De Spiritu Sancto. 2. de B. Virg. Maria. 3. pro fidelibus defunctis, & orare pro Episcopo ordinante.

D. An Subdiaconus, vel Diaconus peccent mortaliter non se communicando cum Altari inseruiunt in diebus Dominicis, & in diebus festiuis sollemnibus, vt insinuatur à Conc. Trid. sess. 23. c. 13.?

℞. Non peccant mortaliter, quia ibi Concilium non strictè præcipit Communionem, sed indicat esse conuenien-

nientem, honestam,& consentaneam tempori, loco, & personæ. vt patet ex verbo *Decere* quo vtitur Concil. ibi sess. 23. c. 13.

D. An Subdiaconus,& Diaconus existẽtes in peccato mortali peccent mortaliter in seruiendo ad Altare in Missa sollemni?

℟. Subdiaconus non peccat mortaliter; Diaconus; veró peccat. ratio disparitatis est. quia actio subdiaconi non est tanti valoris,& existimationis. Actio verò Diaconi est maior,quia magis Altari inseruit,maiorem accepit in sua ordinatione facultatem. & insuper tenetur sumere Eucaristiam in defectu sacerdotis.

D. An Subdiaconus in seruiens ad Altatre debet genuflectere quoties celebrans genuflectit?

℟. Nequaquam. Hoc enim debet facere Diaconus, quia est proprius celebrantis minister.

D. Quibus vestibus induitur subdiaconus, quando est ministraturus ad Altare?

℟. Induitur Amictu, Alba, & cingulo. & hæ vestes sunt communes omnibus sacris ordinibus. Propria tamen vestis subdiaconi est manipulus in Brachio sinixtro, sine quo si ministrat ad altare scienter peccat mortaliter. Quod si ministraturus est in aliqua Ecclesia, in qua non sit manipulus,in hoc casu accipiat stolam, & aptet loço manipuli in brachio sinixtro.



De

D. Quid est Diaconatus, & quando institutus à Christo Domino?

℟. Est potestas per quam sic ordinatus potest cantare Euangelium in Ecclesia Dei, & dispensare Corpus Christi fidelibus in necessitate. Institutus est, quando Christus in vltima Cæna Corpus, & sanguinem suum ministrauit Discipulis. Matt. 26.

D. Quæ est materia remota, & quæ proxima Diaconatus?

℟. Materia remota est liber Euangeliorum, Proxima est traditio eiusdem libri, & impositio dexteræ manus Episcopi super caput Diaconi. qui materiam illam debet tangere.

D. Quæ est Forma Diaconatus, & quis minister ordinans?

℟. Forma sunt verba ab Episcopo prolata, dum porrigit materiam tangendam. Minister ordinans est Episcopus respectu suorum subditorum, & aliorum de licentia suorum Episcoporum.

D. Quod est Officium Diaconi?

℟. Est cãtare sollemniter Euangelium in missa; ministrare immediatè sacerdoti celebranti; vestire Altaria; Crucem ferre; ex commissione sacerdotis, siue Episcopi, prædicare, dispensare Corpus Christi in necessitate, & cum sollenitate baptizare in Insulis vbi pauci sunt sacerdotes.

D. An Episcopus censuris irretitus, & Irregularis possit validè conferre ordines, & præsertim Diaconatum?

℟. Validè confert, sed grauiter peccat.

D. An ordinatus subdiaconatu á Papa possit ab Episcopo ordinari. Diaconus, & Præsbyter?

℟. Non potest nisi de expressa Papæ licentia. potest quidem iudicari ab Episcopo, non autem ordinari propter reuerentiam Summo Pontifici debitam.

D. An Episcopus, qui non est Diaconus, quia suscepit sacerdotium per saltum, possit conferre Diaconatũ?

℟. Maximè. quia potestas conferendi ordines non habetur propter Diaconatum, sed propter validum Episcopatum.

D. Quis est effectus ordinis Diaconatus?

℟. Duplex est Gratia, & Character.

D. Quãdo imprimitur Character in Diaconatu?

℟. Licet principalior Diaconi actus sit ministrare sacerdoti in consecratione Corporis, & Sanguinis Christi immediatè super Altare; Character tamen imprimitur in traditione libri Euangeliorum, quia deputatio eius ad principalem actum non potuit exprimi per traditionem alicuius rei corporalis. Hoc patet inductione. Non potuit per dationem Calicis vacui, & patenæ, quia hoc est proprium subdiaconi; non per traditionem Calicis cum vino, & patenæ cum hostia, quia hoc est sacerdotis, ergo oportuit, vt imprimeretur Character per traditionem pertinentis instrumenti ad actum secundarium, idest per traditionem libri Euangeliorum.

D. An Diaconus existens in mortali peccato peccet mortaliter, si inseruiat sacerdoti celebranti?

℟. Dixi in subdiaconatu Diaconum peccare mortaliter, non autem subdiaconum, quia circa missam Diaconus maiorem accipit potestatem.

D. Sacerdos peracta consecratione deficit, nec potest prosequi missam vlterius; potest ne in hoc casu Diaconis perficere sacrificium?

℟. Ne-

℞. Nequaquam, sed vocandus est sacerdos alius ieiunus, sed si nullus inueniatur; tunc Diaconus Hostiã consecratam in Tabernaculo reponat; quod si non sit ibi Tabernaculum, sumat tunc Diaconus illam reuerenter; & propterea in omni euentu debet ieiunus ministrare Diaconus celebranti. quod si Diaconus non sit ieiunus, subdiaconus verò sit ieiunus tunc non tangat subdiaconus Hostiam consecratam, sed de manu Diaconi illam suscipiat. Diaconus enim non solum tangere, sed etiam alijs potest præbere tempore necessitatis.

D. Quæ ætas requiritur ad Diaconatum?

℞. Requiritur ætas 22. annorũ cõpletorum, & quod sit inceptus 23. ex Conc. Trid.

D. An Ordinatus Diaconus ante legitimam ætatem incurrat aliquam pænam?

℞. Si scienter hoc facit, est suspensus, & si tunc exercet actum Diaconi fit irregularis. sed si putauit probabiliter se habere ætatem non incurrit suspensionem, & si exercet non fit irregularis.

D. Quæ scire debet ordinãdus in ordine Diaconatus?

℞. Debet scire ea quæ subdiaconus scire tenetur, & insuper ea quæ spectant ad suum officium; & quæ ad Eucharistiæ, & Baptismi administrationem sollemnem pertinent propter casus, qui possunt occurrere.

D. An Diaconus possit de licentia Parochi in casu necessitatis administrare Extremam Vnctionem, Pænitẽtiam, & Matrimonium?

℞. Nequaquam, quia ad hæc ministranda Sacramẽta requiritur vt sit sacerdos. excipe tãtum Matrimonium, nam si Parochus nondum est ordinatus Præsbyter, sed est Diaconus. in hoc casu validè assistit matrimonio ex Concil. Trid, sed hoc potest Diaconus Parochus; non potest tamen hoc concedere Diacono non sacerdoti, vt

assistat. Nullus tamen casus est, in quo Diaconus possit ad ministrare Extremam Vnctionem, & Pænitentiam.

D. Quibus vestibus debet esse indutus Diaconus quādo in necessitate solemniter est administraturus Sacramentum Baptismi; aut delaturus sactissimam Eucharistiam?

℞. Debet esse indutus superpellicio albo cum stola ex transuerso scilicet ab humero sinixtro sub brachio dextero, vt cognoscatur Diaconus, nō Sacerdos. quod si Diaconus gestaret stolam ab vtroque humero pendentem, vt Sacerdos, euaderet irregularis; quia in foro exteriori præsumeretur vsurpasse facultatem sacerdotis, quam non habet.

D. An Diaconus, qui in necessitate detulit Eucharistiam sacerdoti in firmo, potest manu propria illam illi dare?

℞. Nequaquam. sed si potest sacerdos infirmus proprijs digitis Eucharistiam sumat de Pyxide; quod si nō potest, tunc Diaconus in hoc casu necessitatis illam præbeat in firmo, & impotenti sacerdoti.

D. Quas obligationes habet, qui ordinatus est in Ordine Diaconatus?

℞. Tenetur recitare Officium diuinum quotidie. seruare castitatem; & de ferre habitum, & Tonsuram, vt dictum est in subdiacono.

D. An Diaconus possit dicere *Dominus Vobiscum*?

℞. Ex rubricis Breuiarij.c.30.n.3. quando solus recitat Officium, & non cum sacerdote, dicat *Dominus vobiscum*. sed si socius est sacerdos, non dicat, nisi de licentia eiusdem. Quando verò cantat Euangelium, dicat; quia tunc dicit ex officio licet præsente sacerdote.

D. Qualis debet esse ordinandus ordine Diaconatus?

℞. Debet esse Tonsuratus, ordinatus ordinibus mi-

no-

noribus, & ſubdiaconatu; examinatus circa pertinentia ad ipſum ordinem Diaconatus, & bene diſpoſitus ad ſacram Communionem. Debet eſſe indutus veſtibus illis comunibus ſcilicet Amictu, Alba, Cingulo, & quia ſubdiaconus eſt, Manipulo. Et debet ferre in brachio Stolam (quæ eſt propria Diaconi veſtis,) & Dalmaticam, vt his induatur ab Epiſcopo. & ferre candelam iuxta conſuetudinem &c.



## De Præsbyteratu Tertio Ordine Sacro.

D. Quid eſt Præsbyteratus; & quando à Chriſto Domino inſtitutus?

℞. Præsbyteratus eſt poteſtas per quam ſic ordinatus poteſt conficere Corpus, & Sanguinē Ieſu Chriſti iuxta ritum S. Romanæ Eccleſiæ & diſtribuere ipſum ſub accidentibus viſibilibus Fidelibus; & poteſt abſoluere à peccatis. Eſt inſtitutus à Chriſto. quando poſt vltimam Cænam panem, & vinum in corpus, & Sanguinem ſuum conuertit, dicens. Hoc facite in meam commemorationem Matth. 26. & 1. Cor. 11. & quando poſt Reſurretionē dixit Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis &c. Ioa. 20.

D. Quæ eſt materia remota, & quæ proxima Præsbyteratus, ſeu Sacerdotij?

℞. Materia remota eſt Calix cum vino, & aqua, & patena cum hoſtia ſuperpoſita, & impoſitio manum, quando datur poteſtas abſoluendi. Proxima eſt traditio calicis cum vino, & aqua, & patenæ cum hoſtia, & impoſitio manuum Epiſcopi, quas materias ordinandus debet tangere, quando traduntur.

D. Quæ eſt Forma?

℞. Sunt verba, quæ in traditione talium rerum, & in impoſitione manuum dicuntur ab Epiſcopo; & ſicut ſūt duæ materiæ partiales, & vna totalis; ſic duæ ſunt Formæ partiales, & vna totalis & perfecta.

D. Quis eſt effectus Præsbyteratus, & quis Miniſter?

℞. Effectus eſt duplex ſcilicet Gratia, & Character. Miniſter conferens eſt Epiſcopus ſacerdos, & conſecratus, ex Trid.

D. Quando imprimitur Character in Præsbyteratu?

℞. Du

℞. Duplicem accipit Potestatem Sacerdos in ordinatione. Vnam Consecrandi Corpus, & Sanguinem Christi. Alterum remittendi peccata. In prima Potestate scilicet in Traditione Calicis cum vino, & patenæ cum Hostia imprimitur Character sacerdoti. in secunda potestate scilicet in impositione manuum Episcopi ordinantis &c. quæ est secundarius actus, extenditur Character in prima potestate susceptus.

D. An validè sit ille ordinatus, cui Episcopus porrexit vel Patenam cum Hostià, & Calicē sine vino; vel Calicem cum vino. & Patenam sine Hostia?

℞. Maximè; quia sub qualibet specie consecrata totus Christus continetur, & qui potest consecrare vnum, potest & alium. Sed Episcopus sic ordinans grauiter peccaret, si scienter id faceret vel si traderet panem non azimum.

D. An potest tradi prius potestas absoluendi à peccatis, & postea consecrandi?

℞. Nequaquam; quia prius debet dari potestas in Corpus verum Christi, & postea in Corpus mysticum.

D. Quæ requiruntur in Ministro ad rectè conferendum ordinem Præsbyteratus?

℞. Requiruntur de necessitate sacramenti Materia, & Forma, & debita Intentio vel actualis, vel virtualis. sed reliqua requisita ad sollemnitatem ritus requiruntur de necessitate præcepti.

D. Dato casu, quod Episcopus ordinans diceret. Accipe potestatem offerendi sacrum pro viuis, & omittat pro Defunctis Peto, qui sic est ordinatus potest celebrare pro Defunctis?

℞. Vtique potest, quia potestas conficiendi Corpus Christi, est substantialis; offerre verò pro viuis, vel defunctis est accidentale, & secundarium,

D. An

D. An qui ordinatus est sacerdos, completa Ordinatione possit statim absoluere á peccatis?

℟. Si pœnitens est in articulo mortis, & non adest alter Confessarius potest absoluere à peccatis, & censuris reseruatis, Sed extra hunc articulum non potest, nisi habeat iurisdictionem vel ordinariam, vel delegatam.

D. Quod est Officium Sacerdotis?

℟. Est offerre sacrificium missæ, & sic habet potestatem in verum Corpus Christi; & absoluere à peccatis, & sic habet potestatẽ in Corpus Domini mysticum. Item administrare alia sacramenta Ecclesiastica, pascere populum doctrina, & exemplo; & facere aliquas benedictiones.

D. Præsbyteratus, & alij Ordines, qui habent duas materias, & duas formas partiales. peto. dato casu, quod vna tantum materia, cum expressione vnius Formæ tradatur, in alia ordinatione quid supplendum?

℟. Si omissa est materia, & forma, quæ dependet ab alia, debet ipsa tantum suppleri; sed si omissa est materia, & forma, quæ non dependet ab alia, vtraque debet suppleri. v.g. est omissa in Præsbyteratu manuum impositio, & sunt omissa verba Accipe Spiritum Sanctum, quia hæc dependet á prima scilicet á traditione panis, & vini, suplenda est impositio manuum sola, cum Forma sua; sed si omissa est traditio panis, & vini cum sua Forma, quia non dependet ab alia scilicet ab impositione manuum, tunc vtraque materia supplenda est, cum vtraque forma partiali. Quia prior est potestas in verum Corpus Christi, & posterior in Mysticum.

D. Ordinandus Ordine Præsbyteratus quibus ordinibus, & qua scientia debet esse ornatus?

℟. Debet esse confirmatus, & debet habere primam Tonsuram ordines minores, subdiaconatum, & Diaconatum.

tum, ſcire debet ea quæ debent ſcire ordinandi ordinibus minoribus, ſubdiaconi, & Diaconi, præterea quæ pertinent ad celebrationem miſſæ, & ad miniſtrationem Sacramenti pænitentiæ pro tempore neceſſitatis.

D. A quibus ſimplex ſacerdos poteſt abſoluere in articulo mortis?

℞. Poteſt abſoluere ab omnibus peccatis, etiã enormibus, à caſibus reſeruatis, & a Cenſuris quibuſcunq; quia in articulo mortis nulla eſt reſeruatio.

D. An ſimplex ſacerdos teneatur ſcire formam abſolutionis abſoluendo in articulo mortis & quæ illa ſit?

℞. Tenetur ſcire. & eſt illa, quæ hab tur in Rituali Romano. *Ego abſoluo te ab omnibus cenſuris & à peccatis tuis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.*

D. An ſimplex ſacerdos, qui in articulo mortis alicuius Confeſſionem incepit audire, teneatur cedere locũ Parocho, ſi ſuperueniat?

℞. Non tenetur, ſed proſequatur inceptam Confeſſionem, & poſtea illum abſoluat. ita Sà v. Abſolutio. n. 3.

D. An Pænitens exiſtens in articulo mortis dedit ſigna contritionis vel petijt Confeſſionem; ſed quando Confeſſarius peruenit, amiſit vſum loquendi, nec dare poteſt ſignum, ſed non mortuus eſt, & præſentes dicunt ipſum petijſſe Confeſſionem, vel ſignum contritionis dediſſe. an hic poſſit abſolui?

℞. Maximè ſi non dum eſt mortuus concepta conditione in mente *ſi es capax abſolutionis, Ego te abſoluo. &c.* Ita communis ſententia.

D. Quid debet imponere ſimplex ſacerdos confitenti in articulo mortis, & habenti caſus reſeruatos, & cenſuras?

℞. Pro casibus reseruatis det absolutionem, & pænitentiam. Pro Censuris, verò debet præcipere, vt si conualuerit, præsentet se superiori, alioquin Censuræ omnes redibunt. debet verò præsentare se, non vt absoluatur. iam enim absolutus est in articulo mortis, sed vt obediat mãdatis superioris, & vt constet vtrum satisfecerit parti.

D. Si sacerdos esset excommunicatus maiori excommunicatione, & in articulo mortis absolueret pænitentem, esset ne Irregularis?

℞. Ne quaquam vt ex Concil. Trid. habetur.

D. An irretitus excõmunicatione minori peccaret, si absolueret?

℞. Ne quaquam, sic ex Nauarr. quia excommunicatio minor priuat sola passiua participatione sacramentorum.

D. An simplex sacerdos potest absoluere à venialibus, & à minore excommunicatione quemlibet?

℞. A venialibus potest, sed non ab excommunicatione minori ex Caiet. quia ad hoc requiritur potestas iurisdictionis in absoluente, qua caret simplex sacerdos.

D. Quæ ætas requiritur ad suscipiendum ordinem Præsbyteratus?

℞. Ætas 24. annorum completorum, & 25, annus sit inceptus, ita ex Trid.

D. Quibus vestibus debet esse indutus sacerdos missam celebraturus?

℞. Supra vestem clericalem, in dui debet sex vestibus sacris scilicet Amictu, Alba, Cingulo, Manipulo, Stola in modum Crucis ante pectus; & Casula, siue Planeta, quæ debent esse benedictæ.

D. Sacerdos an debeat componere Stolam in modũ Crucis ante pectus; non solum quando est celebraturus missam, sed etiam quando alia officia diuina est celebraturus?

℞. De-

℞. Debet sic componere stolam, quando sic est indutus Alba pro hora tertia cātanda ante celebrationē missæ. Sic Gauan.part. 2.tit. 1. quia post tertiam cantatam est induturus Casulā pro missa à se celebranda. sed in reliquis diuinis officijs sinat vtrasq; extremitates stolæ fluere ab vtroque humero deorsum. Vnde propriæ vestes sacerdotis, quibus distinguitur ab alijs ministris, sunt duæ 1. stola vel in modum Crucis ante pectus, vel ab vtroque humero fluens seu pendens. & Casula siue Planeta.

D. Quomodo ordinandus ad Præsbyteratum debet accedere?

℞. Accedat examinatus, & recte paratus ad sacram Communionem. debet ferre secum sacras vestes, & cādelam offerendam iuxta consuetu dinem.

D. Quot modis loqui possumus de Sanctissima Eucharistia?

℞. Duobus modis, vel de Santissima Eucharistia, vt est Sacramentum, vel vt est sacrificium.

D. Videamus prius, vt est Sacramentum. Quid est Eucharistiæ sacramentum? & quando institutum?

℞. Eucharistia est Sacramentum continens sub speciebus panis, & vini Corpus, & sanguinem Christi. Institutum ab eodem Christo ad conseruationem vitæ spiritualis in vltima Cæna. Matt.26.

D. Quotuplex est? sunt ne duo sacramenta vnum contentum sub speciebus Panis scilicet Corpus; & alterum contentū subspeciebus vini scilicet sanguis Christi?

℞. Nequaquam; sed est vnum sacramentum ex duplici materia, & forma partiali compositum per modum Conuiuij, sicut est vnus Christus, qui continetur in eo.

D. Quænam est materia Corporis consecrari?

℞. Est Panis azimus ex tritico, & aqua natural con-

fectus in Ecclesia latina. & Panis fermentatus in Ecclesia Græca.

D. Quenam est materia sanguinis consecrati?

℞. Est vinum ex vuis maturis, non acetum, nec sapa, nec lora.

D. Cum vino miscēda ne est aqua? & quo Præcepto?

℞. Miscendum est parum aquæ Ecclesiastico Præcepto, quod obligat sub mortali peccato.

D. Quomodo debet esse vtraque hæc materia?

℞. Debet vtraque esse certa, & in intentionē consecrãtis determinata; & saltem moraliter præsens sacerdoti, ita vt possit demostrari pronomine *Hoc, & Hic*.

D. Debet ne consecratio vtriusq; materiæ simul iungi. idest si cosecratur Panis, debet ne necessario consecrari vinum, an potest vna sine alterā materia cōsecrari?

℞. Vtriusque consecratio iungi debet saltem obligatione diuini Præcepti.

D. Quenam est Forma consecrationis Corporis?

℞. *Hoc est enim Corpus meum*.

D. Ly *enim* requiritur ne essentialiter ad consecrationem; ita vt si non ponatur; non fiat consecratio?

℞. Nequaquam est de essentia, sed tantum de præcepto; & fieret peccatum mortale, si non poneretur, valida tamen esset consecratio,

D. Quænam est Forma consecrationis sanguinis?

℞. *Hic est enim Calix sanguinis mei, noui, & æterni testamenti mysterium fidei qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*.

D. Quid fit prolatis. verbis consecrationis.

℞. Trãsmutatur substãtia Panis, & vini, & tota cōuertitur in Corpus, & sanguinē Christi, & hæc conuersio dicitur transubstantiatio. Sola remanent accidentia panis, & vini scilicet. Quantitas, sapor, odor, color cum primis

qua

qualitatibus, quæ dicuntur species sacramentales.

D. Quid ponitur in Hostia, & quid in Calice ex vi verborum consecrationis tam Panis, quam Vini?

℞. Ex vi verborum sub speciebus Panis ponitur Christi Corpus, & per concomitantiam, quia Corpus Christi nunc viuum est, ponitur sanguis; anima; & diuinitas. In Calice vi verborum ponitur sanguis, Christi, & quia est Christus nunc viuus per concomitantiam ponitur Corpus, Anima, & Diuinitas.

D. Quis est minister huius sacramenti?

℞. Duo sunt huius sacramenti ministri. Vnus consecrationis, & hic est sacerdos, & non alius. Alter est minister ministrationis communicando alios, & hic est etiã sacerdos, qui Iurisdictionem habeat ordinariam, vel delegatam.

℞. quot sunt suscipientes hoc sacramentum?

D. Duo. Vnus consecrãs, & suscipiẽs, & hic est sacerdos celebrãs, Alter suscipiẽs tantũ, & est vel sacerdos, quãdo nõ celebrat; vel laicus quando communicat. Primus, qui est celebrans debet sumere vtranque speciem scilicet Hostiam, & Calicem. Secundus communicans solam Panis speciem, & tunc recipit totum Christum Carnem, scilicet, & sanguinem.

D Si non adsit sacerdos, & necessitas vrgeat communicandi infirmum, ne sine Viatico moriatur, potest ne aliquis alius Eucharistiam ministrare moribundo?

℞. In hoc casu necessitatis potest Diaconus ministrare Eucharistiam, quia in tali casu vel præsumitur voluntas Pastoris; vel ius commune censetur illi concedere facultatem.

D. Suscipiens quas conditiones debet habere, vt licitè, & cum fructu recipiat?

℞. Has, quæ his versibus continentur.

Le-

*Lotus, Discretus, Sanus, Ieiunus, & Aptè*
*Contritus, Fassus, Mundus, rectèque paratus.*

Quas conditiones sic explico. *Lotus.* vt sit baptizatus. *Discretus.* vt non sit puer, nec amens. His enim consuetudo Ecclesiæ iustis de causis prohibuit Communionem. Sed si amens habuit vsum rationis, huic debet in periculo mortis ministrari Eucharistia; modo constet illum nec in Censura, nec in peccato mortali sine signo Pœnitentiæ vsum rationis amisisse; nec sit periculum irreuerentiæ. Pueri verò, non statim ac attingunt vsum rationis, sunt communicandi; nisi sint in periculo mortis; sed expectandum est, vt post decimum annum illis concedatur communio a doctis Confessoribus. *sanus*, vt bene valeat stomacho, ne receptam Eucharistiam vomat: *Ieiunus.* Naturali ieiunio post mediam noctem. ne scilicet minimum cibi, vel minimum potus sumpserit. Nisi mors immineat; tunc enim dabitur illi Eucharistia vt Viaticum.

*Aptè contritus.* vt saltem putet se nō habere conscientiam peccati mortalis. *Fassus*, quia non sufficit conteri, sed debet etiam confiteri, si conscientiam habet peccati mortalis; nisi communicandi vrgeat necessitas, & non adsit Confessarius.

D. Si non adsit Confessarius, & sine confessione cū contritione communicat, vel celebrat, quid tenetur postea facere laicus & quid sacerdos?

℞. Sacerdos postea confiteri, quam primum potest, laicus, quando libuerit, *Mundus.* Non pollutus, nam si præcessit copula, vel pollutio culpabilis, & sit mens adhuc distracta circa venerea, consilium erit differre communionem, nisi vrgeat grauis necessitas. *Rectèque paratus.* Idest Fide viua, Charitate feruenti, & Humilitate reuerenti.

D. Ex

D. Ex quo præcepto tenemur communicare?

℞. Ex duplici præcepto Diuino, & Ecclesiastico. Diuinum præceptum obligat omnes adultos rationis compotes in articulo mortis; tunc enim moribundi tenentur Viaticum sumere, & si communicauerint in Paschate. Ecclesiasticum præceptum Communionis obligat omnes baptizatos, cum ad annos discretionis peruenerint semel in anno tempore Paschatis. excusantur pueri etiam post annum decimum, si vel à parentibus, vel à Confessarijs prohibentur; & excusantur quicunq; de Confessarij consilio differunt Communionem.

D. Qui cum sacrilegio Communicant, implent ne præceptum Ecclesiasticum?

℞. Implent. nam solum obligat ad substantiã actus.

D. Quot sunt huius sacramenti effectus?

℞. Sunt quattuor. 1. Infusio gratiæ. 2. refectio spiritualis. 3. præseruatio à peccatis. 4. Fomitis repressio.

D. Quot modis potest recipi Eucharistia?

℞. Tribus modis 1. Spiritualiter tantũ, & isti sunt, qui solo desiderio communicãt. 2. Sacramentaliter tantum. & isti sunt qui sine debita dispositione sumũt. 3. sacramẽtaliter, & spiritualiter, & isti sũt, qui dignè comunicãt.

D. Diximus de SS. Eucharistia vt Sacramentum non nulla; nunc de eadem vt sacrificium aliqua prælibemus. & vt demus initium. Quid est missa? & quando à Christo Domino instituta?

℞. Est sacrificium, in quo sub speciebus Panis, & Vini Christi Domini Corpus, & sanguis offertur Deo in memoriam Dominicæ Passionis. Institutum fuit in vltima Cæna, cum Sacramentum confecit, in illis verbis Hoc facite in meam comemorationem. Luc. 22.

D. In qua parte missæ sacrificium essentialiter consistit?

℞. In

℟. In sola consecratione, quia tunc ex vi verborum, & significatione specierum separatim quasi victimá mactata proponitur. Consumptio verò Hostiæ & Vini consecrati pertinet ad integritatem, & perfectionem huius sacrificij. Vnde sacerdos omnino tenetur communicare, dum celebrat, vt faciat integrum, & perfectum sacrificium.

D. Quot sunt, qui sacrificium missæ Deo offerunt?

